

Celsissimus Princeps

ALEXANDER RUDNAY

de Eadem et Divék-Ujfalu, Archi Episcopus Strigoniensis

PRIMAS

Regni Hungariae

etc. etc.

HISTORIA UNIVERSALIS GENTIUM STATISTICO-GEOGRAPHICO POLITICO CRITICA.

QUAM

IN USUM AUDITORUM.

CONCINNAVIT

PAULUS NAGY,

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR. ALMAE AC CELEBERRIMAE UNIVERSITATIS PESTIENSIS FACULTATIS PHILOSOPHICAE COMMEMBRUM. IN REGIA SCIENTIARUM ACADEMIA MAGNO VARADINENSI HISTORIAE UNIVERSALIS GENTIUM, ET PRAGMATICAE REGNI HUNGARIAE PROFESSOR REGIUS PUBLICUS ORDINARIUS, AC BIBLIOTHECAE ACADEMIAE CUSTOS.

TOMUS I.

CONTINENS UNIVERSALEM ORBIS GEOGRAPHIAM, ITEM GENTIUM ACTA SACRA ET CIVILIA, ANTE ET POSTDILUVIANA. SIGNANTER : HEBRAEORUM, BABYLONICO - CHALDAICO - MEDICO - ASSYRIORUM, AEGYPTIORUM, PHOENICUM, CARTHAGINENSIUM, SCYTHARUM, THRACUM, LYDORUM, SARMATARUM, TROJANORUM, PERSARUM, CHINENSIUM, INDORUM, GRAECORUM, ATHENIENSIUM, SPARTANORUM, THEBANORUM, MACEDONUM, ET HINC ORTORUM REGNORUM.

BUDAE,

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE 1824.

Admittitur ad imprimendum

Antonius Nagy m. p.
Gremialis ad Excelsum Cons. Reg. Locumte.
Librorum Censor et Revisor.
Budae 24 Oct. 1824.

CELSISSIMO PRINCIPI

DOMINO DOMINO

AEXANDRO RUDNAY,

DE EADEM ET DIVÉK-UJFALU,

METROPOLITANAE ECCLESIAE STRIGONIENSIS

ARCHI EPISCOPO.

SACRAE SEDIS APOSTOLICAE

LEGATO NATO,

INCLYTI REGNI HUNGARIAE

PRIMATI,

SUMMO, ET SECRETARIO CANCELLARIO,

INSIGNIS ORDINIS S. STEPHANI REGIS AP.

MAGNAE CRUCIS EQUITI

ET EJUSDEM ORDINIS

PRAELATO.

S. C. ET R. A. M. ACTUALI INTIMO STATUS

ET

AD EXCELSUM CONSILIUM REGIUM L. H.

CONSILIARIO.

ECCLESIASTICAE COMMISSIONIS

PRAESIDI.

INCLYTI COMITATUS STRIGONIENSIS PERPETUO

AC SUPREMO

COMITI.

AC

AD EXCELSAM TABULAM SEPTEMVIRALEM

CO-JUDICI

LITERARUM ET LITERATORUM

SUMMO PATRONO

MECAENATI MEO GRATIOSISSIMO.

CELSISSIME PRINCEPS!

PRIMAS REGNI HUNGARIAE!

Deus, qui vocat quae non sunt, praesentiaque sistit! TE CELSISSIME PRINCEPS difficillimis hisce temporibus vocavit Hungariae Sospitatorem; Qui Gentem nullo non tempore Heroem, saepe tamen privatorum ambicione in exitium ruentem in Spiritu revocares; et ut VIR Secundam cor Dei! Publicam fidem Sanctam, a Divo Protorege STEPHANO inductam, ac a Divo DOMINICO Primo Antecessore TUO amplius propagatam, nunc Immortali TUO Gubernio reduceres. Ecquidem inter tot tantasque quibus pro publica Sacra aeque ac Civili salute excubas curas; inter Splendidos quibus praefulges Honores; pro virili juste judicasti etiam Civitatis Literariae summam tueri Tutelam. Quibus indiciis, quid ego! qui in vasto Venerandae

dae

dae Antiquitatis pelago palinuro, confidentissime non sperem a tam Potente; tamque Literarum et Literatorum amante Patrono! Qui, sicut Sanctam Religionem ad mentem Fundatoris constanter asseris; Auream Nationis Hungarae libertatem fortiter tueris; pacem Fidelissimorum Hungarorum providentissime conservas! ita etiam bonas Artes, Clarissimasque Scientias alis liberaliter, vitia vero et pravos mores, ex Urbibus et vicis eo quo desideratur modo expellis audacter, demum quod rectum et honestum est, praestare haud intermittis sapienter. Idcirco CELSISSIME PRINCEPS! quoniam pro Officii mei ratione et exspectatione; seria item Juventutem Academicam juvandi studio, auxiliante DEO novum Opus

Hi-

gni Aegyptiaci conditor esset, omnes successores ex nomine illius, *Ptolomaei* nuncupari voluerunt. *a*) *Ptolomaeus Philadelphus* literarum et artium ingens cultor, et famosissimae Bibliothecae Alexandrinae conditor; cujus jussu Versio Septvaginta Interpretum facta fuisse vulgo creditur. — *Cleopatra* cum *Marco Antonio*, in historia valde est celebris, prout jam superius de Aegyptiis fusius exposuimus. Ceterum ab *Octavio Augusto* navali pugna Actiaca *Antonius* victus, mox *Cleopatra* ne in triumphum victa Romam abduceretur, per Aspides, quas in theca reconditas gestabat mortem voluntariam sibi infelix conscivit. Post cujus obitum Aegyptus eandem experta est sortem; quam jam perprius cetera Imperii Macedonici regna subiverunt, nempe ditioni Romanorum adjecta, et in formam provinciae redacta est.

Praeter enumerata regna e ruinis Monarchiae Macedonicae surgentia, etiam *Epiroticum* hoc tempore celebre exstitit; et quidem sub *Pyrrho* rege e posteris fortissimi Graecorum ducis *Achillis* descendente, potentiae suae gradum attigit: *b*) qui initio in Macedoniam irruendo regnum ipsum occupavit; quo demum a *Lysimacho* spoliabatur. *c*) Ast amplius in eo, ut in Legitimo Principe virtus enituit, dum a Tarentinis in Italiam esset vocatus contra Romanos,

a) Pausan. L. 1. c. 6. *b*) Justin L. 17. c. 3. apud Plutarchum in vita Pyrrhi. *c*) idem ibid.

nos, quos etiam initio gravi pugna vicit, sed postmodum versa fortuna victus, Italiam et Siciliam quas jam majori ex parte ceperat, remittere debuit. Post quae, stupenda fortunae varietate iterum Macedoniam aggressus, inde *Antigonum Gonatam* penitus exturbavit, *a*) quem dum in civitate Argis obsideret, dejecti lapidis ictu mortuus, regno exitium adtulit.

Status Literarum et Artium. In tanta, tamque violenta Regnorum et Regum mutatione, tamen scientiae et artes sensim perfici, imo ad ampliorem culturae gradum pervenire coeperunt. Nam complures Philosophorum sectae in Graecia floruerunt etiam inter gravissimos armorum strepitus; quarum celebriores erant: Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Epicuraeorum, Scepticorum, Cynicorum etc. Maximus tamen hac aetate variarum Scientiarum et Artium promotor fuit *Ptolomaeus Philadelphus*, quare etiam Alexandriam regiam Aegypti urbem, tamquam verum Musarum domicilium esse voluit, quo Artifices et Literati. Scientiarum condiscendarum causa confluere solebant; in quorum gratiam etiam condita fuit ibidem celeberrima Bibliotheca; quae sub ejus successoribus in tantum excrevit, ut septies centena millia voluminum contineret. Porro eodem tempore quo *Alexander M.* Urbem Alexandriam aedificari caepisset, *Varrone* teste; inventus est

usus

---

a) idem ibid Justin. L. 25. c. 3. seqq.

usus Papyri plantae, quae in paludibus Aegypti ad fluvium Nilum crescit. Similiter etiam Rex Bithyniae *Eumenes* in urbe Pergamo instructissimam instituit Bibliothecam. Item Civitates splendidae erant erectae: uti Seleucia, Alexandria, Antiochia, etc. quarum magnificae structurae, manifeste, probant Artificum eximiam peritiam. Quarum Urbium recens generatio, simul erat aliarum Asiae urbium destructio, imprimis Babyloniae, quae ab hoc tempore neglecta, imo tardius etiam deleta est. Exstiteruntque *Alexanxandri M.* temporibus et postea Viri doctrina praestantes, uti: *Diogenes Cynicus*, *Theophrastus Eresius* a longaeva etiam vita celebres. *a*) Item: *Polemo*, *Crantor*, *Crates*, *Arcesilaus* Philosophi et Poetae. *Zeno* Stoicae sectae conditor vixit 98. ex qaibus 58. annis magna nominis celebritate docuit. *Demetrius Phaleraeus* Philosophus et Orator Legumque peritus. *Menander* Poeta et Comicus. Historiam Scripsit *Timaeus* Siculus, et *Callias* Syracusanus. Sub *Alexandro M*, *Berosus* Chaldaeus, rerum Chaldaicarum Scriptor; item *Manetho* Diospolitanus. etc. Dein *Strato*, *Lyco*, *Lacydes*, *Chrysippus* Stoicus. *Eratosthenes* qua octvagenarius inedia vitam finivit. *Callimachus* Poeta, quem *Suidas* plus quam octingenta volumina reliquisse scribit. Romae vero ad a. U. C. *Livius* Poeta primus fabulam docuit. Item *Plautus*, *Ennius*, *Statius* *Cae-*

---

a) Diogen. L. 6. c. 79. et L. 5. c. 36. Hieron. in Epist. ad Nepotianum.

cilius Comoediarum scriptor. *Polybius* Megalopolitanus gravissimus Historicus, natus a. ante Ch. 205. et mortuus a. ante Ch. 124. *Terentius* Afer. etc. Qui omnes, Scriptis aut Institutionibus suis, Generi humano multum profuerunt.

Finis Primi Tomi.

Historicum hoc titulo: Historia Universalis Gentium. Statistico-Geographico-Politico Critica, continens res Sacras et Civiles, inde a Condito Mundo, ad nostram usque aetatem, confecissem; non dubitandum mihi putavi: Cui id potissimum inscribere, Sacrumque facere debeam? facile enim apparebat Ei primo deberi, cui tamquam Summo Rectori, et Patrono Magnificentissimo, dudum actae jam vitae, gratanter vero futurae meae fortunae rationem debeo. Hujus igitur Historiae Universalis Primicias Excelsis CELSITUDINIS TUAE honoribus, benignissimo Favore ac Indultu, clientelari cum submissione consecro! Qui simul, Deum Ter Optimum Maximum supplex veneror: ut TE CELSISSIME PRINCEPS! diu sal-

salvum praestet atque incolumem, ut diu Reipublicae, Ecclesiae, cunctisque Hungaris, sub Providentissimo Gubernio TUO quietis et tranquillis esse liceat. Ego vero sub TUI clypeo delitescens, tutus ab omni livore animosior brevi ad alia assurgam: nunc cum submississima qua possum Devotione emorior.

CELSITUDINIS TUAE

humillimus ac devotissimus
Cliens

Paulus Nagy,
Professor Historiarum P. O. Varadinensis.

PRAEFACIO

AD

BENEVOLOS AUDITORES ET LECTORES.

Magno Eruditorum plausu acceptam Historiam Pragmaticam Regni Hungariae proxime evoluto anno 1823. auctius in usum Philosophiae Auditorum vulgavi. Nunc vero, ut eorum ardentissima dudum exigebant Vota! itidem Professionis meae beneficio, Historiam Universalem Gentium, in Eorumdem Philosophiae Auditorum amplius emolumentum, novis conaminibus, indefessaque solertia illustrandam suscepi. Quare cuncti Patriae Patres! et Candidi Scientiarum Cultores, tenerrimeque dilecti mei Auditores! Qui mentem Systematica Historiae Universalis Gentium cognitione, Actiones vero vestras humanas, vivis Majorum exemplis Philosophica ratione ad meliora ordinare intenditis! Novam hanc meam in Vos et Patriam pietatem, optimo quaeso ac-

accipite animo. Quo in Opere tribus Tomis elucubrato, id imprimis mihi officii concessum credidi: ut diversarum Gentium celebriores res gestas recensendo; ne in eosdem scopulos incidam; in quos jam multi, dum nihil omittere intendebant, nimia rerum varietate, memoriam Juventutis perplexam; imo infinita divisione, usu ne vel secus inducta, plane confusam reddiderunt. Quapropter intra certos limites me constrinxi; contentus iis tantum immorari, quae a studiosa Juventute, aut etiam ab aliis jucunda et clara methodo, facilique Stylo, imprimis sciri et non ignorari debent. Ideo rem amplissimam in exiguum orbem compingere laboravi; rejiciendo eorum exemplum, qui potissimum per laboris sui nitorem, ac Styli elegantiam, laudem modo non rem aucupari satagunt. Hoc enim labore, unice civibus Academicis, Studia Literarum tractantibus viam ad venerandae Antiquitatis Studium tantisper ferventius tractandum cordicitus monstrare intendo: quae tamen mea conamina licet imperfecta, imo quorumdam jactantium palato minime placere ultro assentior; Docentibus tamen et Discentibus omnino uti-

utilia fore firmissime confido. Idcirco cunctos antemonere humanum esse duxi: quam hic in docendo Methodum teneam? nempe: Praevias notiones pertractaturus, (quoniam Auxilia Historica, uti: Artem Criticam, Chronologiam, Geographiam politicam, Diplomaticam, Sphragisticam, Heraldicam, Numismaticam, Archeologiam et Genealogiam, jam in Historia Pragmatica Regni Hungariae praemiseram,) hic solam Geographiam Universalem; sine qua Historia Universalis nec intelligi, eo minus autem sciri potest, praemittendo: totam Historiam Gentium in tres Tomos divisam adornabo. Et quia totius Historiae Universalis medullam celeberrima Imperia, seu Monarchiae olim vel nunc florentes quasi efficiant; ideo Imperiorum accuratius, seorsim vero Gentium aliarum ortum, progressum, et interitum, aequali methodo proponam; cujusvis Gentis Historiam in quinque Paragraphos dividendo: et quidem in I. §. Statistico Geographica notio Gentis et Regionis adumbrabitur. II. §. Status Religionis et Consvetudinis. III. §. Status Politicus et mutatio Formae Regiminis. IV. §. Status Belli et memoria Principum Viro-

rorum. V. §. Status Literarum et Artium. Quo ordine, admiranda Divinae Providentiae effecta; Regnorumque ac temporum, item Gentium mutationes non interrupta serie discentibus aeque et legentibus promte innotescent. Qui ut amplius vera Historiarum cognitione mentem imbutam habeant; neque meis dictis solum acquiescant, clariora ex ipsis fontibus, eruditionis exercendae gratia commonstrabo; eo imprimis: ut notabiles rerum eversiones, ex ipsis legant Scriptoribus, a quibus continuo doctiores prudentioresque discessuri sunt, modo ne ex vana persvasione, aut ignavia, a tantis laboribus recedendum putent. Ceterum firma spe fretus, vel hunc meum conatum Literarum, nemini de corde displicere posse. Scribebam Magno Varadini die 4. Septembris. 1824.

Notiones Praeviae.

§. 1. Quid est Historia Universalis Gentium? Est notitia Systematica, et fidedigna narratio rerum memorabilium, quae inde a creatione mundi usque ad nostra tempora, in totum Genus humanum; aut saltem in praecipuam ejus partem, maximum influxum habuerunt, Gentibusque prudentioris vitae principia instillarunt.

§. 2. *Divisio.* Historia generaliter dividitur in Universalem, Particularem, et Singularem. *Universalis*, omnium gentium condam existentium acta enarrat. (qualis tamen Historia Universalis non existit.) *Particularis*, gentes in una aliave parte mundi existentes recenset. *Singularis* unius gentis eventus describit. — II. Ratione *Materiae* dividitur in Sacram, et Civilem. *Sacra*, res sacras pro triplici statu Ecclesiae exponit, in *Lege non scripta*, et *scripta* seu Mosaica, item in *Lege Evangelica* seu Christiana; quae alias *Veteris*, et *Novi Testamenti* Historia vocatur. — *Civilis* res politicas in statu civili commemorat. III. Utraque Historia prout pertractatur alia est *Pragmatica*, *a*) alia

 Cri-

a) Nagy Hist. Pragmatica Hungariae. T. I. §. 1. edit. Pestana.

Critica a) alia *Chronologica*, quae tempora. *b*) *Geographica*, loca et situs; *Genealogica*, Familias; *Literaria*, statum Literarum; *Artificialis*, artium; *Miscellanea* res varias ridiculas aeque ac serias tradit. IV. Ratione *Temporis* dividitur in varias Fpochas, Periodos, Aetates, et alia tempora; v. g. a condito mundo usque diluvium, quod ἄδηλον propter ignorantiam vocatur, exceptis quae nos Historiae sacrae docuerunt. — A Diluvio, usque Olympiadem primam, quo tempore quia multa fabulosa referuntur μυθικον nominatur. — A prima Olympiade ad Nostra tempora, quod ἵϛορικον dicitur, quia in eo res gestae veris Historiis continentur. Vel juxta alios dividitur: in *Antiquam* seu ad Christum natum. *Mediam* a Christo, usque Carolum M. vel etiam Rudolphum Habsburgicum; et ab hinc, ad nostra tempora, quam *Novam* dicunt. — Mihi, ut consulatur memoriae discentium, ne ve vage legant, commodissimum videtur totam Historiam in *Antiquum*, et *Novum Testamentum* dividi posse, (quoniam Religionis sanctae institutio, in gentes maximum influxum habuit, maximisque mutationibus occasionem praebuit;) ac in antiquo Testamento, sub quatuor Monarchiis, praecipuas gentes ita complecti, ut singularum gentium originem, progressum, ac interitum, seorsim continuative in certas periodos proponam ita; ut paragrapho I. Geographico statisti-

---

a) idem. ibid. p. 14. *b*) idem. Grebner. Hist. Univer. T. I. p. 1.

tisticam notionem Regionis §. II. Religionem et consvetudines Gentis. §. III. Statum politicum. Formam Regiminis ac Leges. §. IV. Bella praecipua. §. V. Artium et Literarum progressum, velut in speculo uno obtutu cuncti absque difficultate intueantur; quo etiam fiet, ut unius corporis instar Historia cohaereat. Hinc, quoniam Historia antiqua Sacra a creatione mundi incipiens, sub quatuor Monarchiis ob Gentilismum comprehendi nequeat; necesse est, antequam ad telam nostram progrediamur, Historiam Populi DEI brevibus absolvere.

§. 3. *Finis.* Historiae Universalis est rerum gestarum notitia practica, ad prudentiam acquirendam ordinata, ut ea ad bene beateque vivendum instruamur. Unde summa Historiae utilitas patet, ad privatae et politicae Prudentiae Principia acquirenda; ad informandum intellectum, reformandum affectum; ad veram Fidem defendendam, et errores refellendos; ad Rempublicam utiliter administrandam; ad rite consulendum, ac juste judicandum ex praeteritis, et de futuris; ad omnium Scientiarum pleniorem notitiam possidendam; ad Divinam Providentiam, Iustitiam, Misericordiam, omnipotentiam etc. perfectius cognoscendam. Verbo: Historiam nescire, est semper puerum esse.

§. 4. *Fontes.* Origo fuit *immortalitatis amor* hominibus innatus, qui eos stimulavit, ut sua, et Majorum gesta Posteris consignarent. Hujusmodi *Fontes* vel sunt *Literati*, vel *Illiterati*,

 prout

prout scriptura adest, vel deest, et hi vel *Publici*, vel *Privati*; etc. sicut in Historia Pragmatica R. Hungariae jam exposui. *a*) Ceterum ad omnem Historiam Universalem, peculiares casus et circumstantias Divinae Creationis, solum Narratio Mosaica nobis manifestavit; quae licet haud accuratam et Philosophicam imaginem ortus omnium rerum, sed solum Historicam exponat; fundatam tamen narrationem certitudine effigurationis terrae nostrae, ex rudi, et indigesta mole respectu Divini consilii continet. Hinc est quod diversas circumstantias *Moyses* nobis non reddiderit notas; v. g. Cur creatio non ad semel, sed sex dierum spatio absoluta fuerit? Qua ratione cetera orbis corpora efformata? Quando Angeli creati sint? etc. — Post *Moysen* primi Historiae magis ordinatae scriptores celebrantur: *Herodotus* Halicarnassaeus, a *Cicerone* Historiarum Parens vocatus; item *Thucydides* et *Xenophon* ambo Athenienses; nec non *Polybius*, *Diodorus* Siculus, qui tamen omnes variorum errorum, et commissi *Anachronismi* rei postulantur. Huc pertinent *Philonis* et *Josephi Flavii* Judaeorum Opera. Item Hebraeorum scripta, *Seder*, *Olam Rabbi* II. sec. Chronicon Hebraeorum majus, et minus cum versione Latina, et Commentario perpetuo, cui notae in V. Testamenti Libros Historicos, et plerasque Prophetas minores insertae sunt cura *Jo. Meyeri*.

Amst.

---

a) Edit. Pest. T. I. p. 10.

Amstel. 1699. in 4. Interpretes totius S. Scripturae, aut quarumdam delectarum sectionum. Auctores Historiae Ecclesiasticae V. Testamenti, uti: *Jo. Marshami* Canon Chronicus. Londin. 1672. f. *Jo. Henr. Heideggeri* de Historia Sacra Patriarcharum exercitationes selectae. Tiguri 1729. I. R. C. Historia V. Testamenti antediluviana, recentius collecta; et observationibus illustrata. Lipsiae 1722. 4. *Calmet Aug.* Dictionarium Biblicum. — Recentioribus autem temporibus quam plurimi, quos pro ratione rerum suis locis adferemus; quoniam singuli id memoriae dignum censuerunt, quod ipsorum animos, cogitandique ac sentiendi rationes fortius moverunt.

§. 5. *Subsidia.* Sunt quaedam scientiae, quibus adeo arctus est cum Historia nexus, ut subsidio earum carere non possit, quae *Subsidia* seu *Auxilia* Historica nuncupantur, uti: Chronologia, Geographia, Diplomatica, Sphragistica, Heraldica, Numismatica, Genealogia, Archeologia, Statistica etc. De quibus scientiis perpolitis, uti et de Arte Critica, pro compendii ratione, in Historia Pragmatica Hungariae praemisi. *a*) — Interim antequam *Historicos eventus* ab orbe condito, ad nostra haec tempora exponam; hoc loco praesentis universi Systema generaliter; in singulis autem majoribus Regnis specifice perstringendum censui: nam hominem Geographica scientia destitutum, instar coeci inqui-

---

a) idem. ibid. p. 14. — 62.

quilini terrestre hoc Palatium incolere; neque exactam Historiae intelligentiam consequi posse nemo negabit; locorum enim, in quibus Historici eventus contigerunt ignoratio, ipsam narrationis fidem, si non suspectam saltem dubiam reddit.

Geographia Universalis.

Geographia est universae Terrae nobis cognitae descriptio. Dividitur in *Orbem Cognitum*, et *Incognitum*. Orbis *Cognitus* dividitur in Europam, Asiam, Africam, et Americam. Sub Orbe incognito comprehenduntur Regiones circa Polos Arcticum, et Antarcticum.

DE EUROPA.

§. 1. *Termini* Europae sunt: ab Oriente fluvius Obysus et Tanais, Mare Euxinum, Propontis, Mare Aegeum. — Ab Occidente Mare Atlanticum. — A Septemtrione Oceanus Glacialis. A Meridie Mare Mediterraneum. *Longitudo* Europae 900. milliaria Germ. ab ostio Obii fluvii usque ad Cabo de Sanct. Vincente in Algarbia. *Latitudo* 550. milliaria a Capite Septemtrionali Lapponiae usque ad Caput Matapan in Morea. — Linguas Matricas sedecim statuunt; quas omnes alii ad quatuor reducunt: *Latinam*, *Graecam*, *Theutonicam*, et *Slavicam*, addi potest *Hungarica*, quae erat veterum Hunnorum, et Avarum.

Gen-

Gentes, uti Origine diversae sunt, ita moribus discrepant. Orientales hodie ut plurimum literarum expertes sunt, occidentales vero scientiis animum excolunt. Illi moribus duriores, hi tractabiliores. Ceteros Orbis incolas superant Veritate Religionis Catholicae, Scientiis, inventione variarum artium, fortitudine militari; Urbium copia, et habitandi commoditate. Regnantes Populi, et Regna sunt: *Portugallia* olim Lusitania. *Hispania* olim Iberia. *Gallia* seu Francia. *Magna Britannia* ex tribus regnis: Anglia, Scotia, et Hibernia constat. *Italia. Helvetia, Belgium Foederatum* seu *Hollandia. Germaniae pars hodie Imperium Austriacum, Dania, Norvegia, Svecia, Moscovia, hodie Imperium* Moscoviticum. *Polonia* divissa. *Borussia. Hungaria. Turcia* Europaea. *Tartaria Europaea* ad Russos pertinens. *Graecia* vectigalis Imperatori Turcico paret: hodie se in libertatem asserere intendit. De quibus Regnis, suis locis specifice agemus.

DE ASIA.

§. 2. Termini Asiae sunt: a Septemtrione mare Glatiale; a Meridie *Oceanus Indicus*, et mare Arabicum; ab Oriente Mare Pacificum; ab Occidente *Sinus Arabicus*, Mare Rubrum. Longitudo Asiae 1300. mill. Germ. Latitudo vero 1220. mill. Germ. est. Fluvii praecipui sunt quatuor: *Obis*, *Euphrates*, *Indus*, *et Ganges.*

ges.

ges. Asia, ob foecunditatem terrae, omni animantium genere est cultissima, ad Orientem ingentem metallorum, et Unionum vim habet. Haec mundi pars primum habitata; praecipuarum orbis Monarchiarum, ac Scientiarum excepit primordia; et prima Religionis Christianae jecit semina, nunc ab Ethnicis potissimum incolitur, sectae Mahomedanae addictis. Matrices lingvae, infinitae sunt. Dividitur hodie in sex partes: uti Turciam Asiaticam, Persiam, Indiam, Tartariam Magnam, Chinam, et Insulas Asiaticas. —

I. TURCIA ASIATICA habet sex majores Regiones; uti: *Natoliam*, *Soriam*, *Arabiam*, *Georgiam*, *Turcomanniam*, *et Diarbeckeriam.*

a) NATOLIA seu Asia minor quatuor habet provincias hodie, nempe proprie *Natoliam*, *Amasiam*, *Caramanniam*, et *Alauduli.* Singulis praesunt *Bassae*, seu *Beglerbeg.* Olim Natolia continebat *Bithiniam*, *Paphlagoniam*, *Phrygiam*, *Lydiam*, *Aeoliam*, *Joniam*, *Cariam*, *Galatiam* seu *Gallograeciam.* Praecipuae Civitates, a rebus gestis celebres erant; et aliquae hodiedum supersunt, uti: 1. *Smirna* portus celeberrimus mercatoribus. 2. *Bergamus*, regni Pergameni condam caput 3. *Barsia.* 4. *Abydus.* 5. *Ephesus.* 6. *Troja.* Priami regia, an M. 2870. eversa. 7. *Nicaea*, 8. *Chalcedon*, in cujus vicinitate est *Scutari.* 9. *Nicomedia*, a Gossypio et Serico celebris. 10. *Lampsacus* ad Granicum fluvium 11. *Phocaea*, condam Atheniensium colonia. 12. *Mile-*

Miletus, ubi Apollinis oraculum fuit. 13. *Halicarnassus.* 14. *Phyladelphia*, Turcis *Civitas Dei.* 15. *Sardes*, in cujus vicinitate *Tyria*, et *Laodicea* est. 16. *Colossae.* 17. *Ancyra*, in cujus campis Tamerlanus Bajazetem a. Ch. 1402. vicit et cepit. 18. *Sinope.*

b) AMASIA olim Regnum *Pontus*, et *Cappadocia* erat; Urbes habet 1. *Amasiam*, *Strabonis* solum natale. 2. *Neocaesaream* seu *Tocata*, prope visitur *Naziansum.* 3. *Trapesus* Trebizende, condam caput ejus nominis regni, quod evertit, a Ch. 1450. Mahometes II. 4. *Amisum* seu *Sisimo* ubi *Mithridatis* Regis residentia fuit. 5. *Sebastopolim*

c) CARAMANNIA condam *Ciliciam*, *Lycaoniam*, *Pisidiam*, *Pamphyliam*, et *Lyçiam* complectebatur, proprios habebat Principes donec a Turcis subigeretur. Civitates sunt: 1. *Iconiumcogni*, sedes Bassae. 2. *Tarsus* ad Cydnum fluvium, ubi *Alexander M.* vitae discrimen subiit. 3. *Issus* a Clade *Darii* celebris. 4. *Antiochiá.* 5. *Satalia.*

d) ALADULIA seu Armenia minor. proprios reges habuit usque *Selimum* I. Turcarum Sult. Meridionalis pars Alleppensi Satrapae subest. Septemtrionalis habet Urbem *Malatiam*, et proprium Satrapam. Hic duae insulae sunt celebres I. *Cyprus* primo proprios habuit Reges, quibus *Alexander M.* successit, dein Aegyptii, Romani, Angli, familia Gallica Lusignana, Veneti, tandem a. Ch. 1571. Ottomanni.

Prae-

Praecipua loca sunt: 1. *Nicosia*, olim *Tremithum.* 2. *Fama Augusta.* 3. *Caraunia* 4. *Paphos* hodie *Batso* opidum. II. Insula *Rhodus* inter Candiam, Cyprum, quam occupatis Hierosolymis, *Equites S. Joannis* Sacracenis eripuerunt; demum *Solimannus* a. Ch. 1522. occupavit; unde *Equites* primo in Candiam, dein a *Carolo V.* eis donatam in *Melitam* insulam venerunt; unde Melitenses dicuntur. Urbs praecipua est *Rhodus.*

II. SORIA seu Syria: ad quam olim pertinebat proprie *Syria*, *Coelesyria*, *Phoenicia*, et *Palestina;* a propriis regibus ad Assyrios, tum ad *Seleucum Nicatorem;* demum anno U. C. 688. ad *Pompejum*, aquo in provinciam redacta iterum ad Saracenos, dein *Constantinum M.* ac demum ad Ottomannos venit. Provinciae sunt tres: a) ALEPPENSIS ubi est 1. *Alleppo* olim *Berrhoea*, Emporium opulentum, cujusvis prope nationis Consules censet. Moscheas 26 habet; eam Christianis eripuerunt a. Ch. 637. Mahomedani, evertit a. 1260. Chamus Tartariae; et occupavit a. 1515 *Selimus*, ex hujus Civitatis incolis trium mensium spatio a. 1585. peste interierunt120. millia. 2. *Scanderona* ab *Alexandro* M. amplificata, et *Alexandria* dicta. 3. *Antiochia*, seu *Theopolis* a Conciliis celebris, olim frequentata urbs; hodie utcunque desertam incolit A. Episcopus Catholicus Maronitarum, et alter Graecorum Schismaticus. 4. *Samosata*

b)

b) TRIPOLIS, portu et castello, in planitie olivis consita est; a *Balduino* Hierosolymorum rege 1109. occupata, et a Saracenis 1289. eversa est

c) DAMASCENA Provincia seu Palestina ubi civitates erant: 1. *Damascus* caput Syriae, et emporium, gaudet amoena vicinia, et jacet ad radices montis Libani. 2. *Sidon*, urbs si commercia spectes a *Tyro* prima, ubi primo vitrum confectum est; et hodie etiam multi Christiani reperiuntur; in vicinitate *Berytus* urbs maritima, Romanorum colonia visitur, ubi jam olim publice Juris Prudentia docebatur; et *Balduinus* Rex a. 1110. expugnavit. 3. *Tyrus* seu *Sur*, urbs ob Reges et divitias celeberrima per *Alexandrum M.* diruta; et hodie oppido similis. 4. *Ptolemais*, portu et Antistite gaudet, et ad Boream *Puteus* aquarum viventium oritur; in cujus vicinitate versus *Joppam* jacet *Carmelus* mons fertilis sed incultus; ubi Ecclesia continet antrum S. Eliae. Ex alia parte videtur *Neocaesarea* seu *Euphratesiana* Romanorum colonia, celebratur a *Stratonis turri*, cujus primus antistes *Cornelius* Centurio, a S. *Petro* baptisatus est. 5. *Joppa*, a *Japheto Noe* Filio structa, a *Saladino* a. 1188. eversa, et a *Richardo* Angliae rege 1252 munita, hodie fere vicus est. 6. *Gaza*, versus Aegyptum castello ornata, proprio paret Principi Turcis Feudatario. 7. *Rama* seu *Arimathia* juxta *Lyddam* urbem, a catenis S. Georgii celebrem. 8. *Hierosolyma*, a Turcis

San-

Sancta Civitas vocatur; a *Melchisedech* olim *Salem*, Graecis *Solyma* dicta, ubi Jebusaei expugnata urbe, castellum *Jebus* aedificarunt; in cujus monte *Sion*, *Davidis* regis aula, in monte vero *Moria*, *Salomonis* templum erat, pro quo *a*) ad caedenda ligna 30. millia, ad lapides vero scindendos 80. millia hominum designata, trabes cedrinae, parietes autem auro obducti erant. Ex Israelitis primus *Josue* urbem expugnavit, dein varios habuit dominos, donec a Babyloniae rege *Necabudnezar* una cum templo succenderetur. *Nehemias* a. M. 3560 vix urbem et templum reaedificavit, in *Ptolomaei Lagi* potestatem a. M. 3639. venit; postea *Antiochum Epiphanem, Judam Machabaeum, et Pompejum habuit* dominos, ab isto *Herodes* obtinuit, et a. Ch. 70. a *Tito*, *Vespasiani* Imperatoris filio expugnata, et in cineres redacta est; tandem a. Ch. 132 ab *Hadriano* alio in loco reaedificata, et *Aelia Capitolina* dicta; et hinc est, quod hodie mons *Calvariae*, fere in media urbe existat. *Constantinus M.* urbem renovavit, et Ecclesiis ornavit; a *Chosroe* Persarum rege *Heraclius* Imp. a. Ch. 627. recuperavit, ac tandem *Godefredus Bullionius* a. Ch. 1099. Saracenis eripiens, primus Hierosolymorum rex dictus. *Selimus* Turcarum Imperator a. Ch. 1117. a *Saladino* Aegypti Rege obtinuit; et hodie etiam Turcae tenent. Cingitur valle *Siloe*, *Gehenna*, *Tophet*,

---

a) III. Reg. c. 6.

phet, et colle *Haceldama.* In monte *Sion* CHRISTUS ultimam caenam sumpsisse traditur, ubi etiam B. V. MARIA decessit. Domum *Pilati*, quam *Zanzachum* vocant Bassa habitat. 9. *Emaus.* ad quam sepulchra Judicum, et Regum etiam nunc exstant. 10. *Lus*, seu *Bethel*, ubi *Jeroboam* vitulum aureum proposuit adorandum. 11. *Samaria* olim regia, a *Joanne Hyrcano* eversa, ab *Herode* restituta; in cujus vicinitate est urbs *Sichem.* 12. *Betlehem Juda* CHRISTI locus natalis. 13. *Nazareth* vicus exiguus; cui vicinus est mons *Thabor.* Olim Palestinae quatuor erant praecipuae regiones. 1. *Judaea* inter mare mediterraneum, et mare mortuum, seu lacum Asphaltitem, ubi Sodoma, et Gomorrha absumpta erant. 2. *Galilaea*, ad mare Galilaeum. 3. *Samaria* ad Jordanis fluvium. 4. *Peraea*, ex altera Jordanis parte sita.

ARABIA, tres habet regiones, *Arabia Petraea* ad occasum. *Deserta* ad Boream. *Felix* ad meridiem. Olim erat regio Madianitarum, Moabitarum, Edomitarum, et Amalecitarum. In *Petraea* opulenta urbs est 1. *Medava* in cujus vicinia mons *Horeb* et *Sinai* est. 2. *Eltor* seu *Hermopolis*, ad quam Israelitae per Mare rubrum transiverunt. In Arabia *Deserta* arenosa, urbs 1. *Anna.* 2. *Bassora*, ad Euphratem et Tygrim. Arabia *Felix*, seu *Saba.* omnibus naturae donis gaudet, potissimum myrha, vino, thure, et auro, ubi 1. urbs est *Mecca* ad Betium fluvium, ad cujus divitias multum conferunt peregrini

grini ad Moscheam et locum natalem *Mahometis*. 2. *Medina*, ubi tumba *Mahometis* juxta *Budaeum* non a magnete, sed parvis marmoreis columnis sustentatur. 3. *Zibithum Saba* urbs mercimonialis. 4. *Adenicum* urbs maritima, castellis et portu celebris. 5. *Baharema* sub jure Persarum portu gaudet. 6. *Mascate* ubi margaritae in copia sunt.

GEORGIA alias *Gurgistan* mari nigro, et Caspio alluitur, Caucaso monti, ac Armeniae contigua. Dividitur in *Georgiam propriam* olim *Iberiam*, antiquitus *Colchidem*, et *Zviriam*, Vino, frumento, et pascuis excellens; nutrit pulcherrimas in orbe puellas, cum quibus Parentes mercimonium exercent. In *Propria Georgia* praeter urbem *Gory*, est *Tefflis*, ubi munitio et residentia Pro-Regis est cum 14. Ecclesiis Christianorum, et Episcopo. *Mingrelia* regio, Leopardis, Tigridibus, ac Leonibus abundat.

TURCOMANNIA olim *Armenia major*, proprium Agam habet, urbs 1. *Cars* ad Euphratis fontem. 2. *Erzerum* gubernatoris residentia.

DIARBECK, inter Tygrim et Euphratem sita, continebat olim *Paradisum*, *Mesopotamiam*, *Babyloniam*. seu *Chaldaeam*, et *Assyriam*. Urbs 1. est *Diarbeckia* mercimonialis. 2. *Ninus nova* seu *Mosul*. 3. *Bagdadum* e ruderibus seleuciae veteris consurgens. 4. *Orfa* seu *Edessa*. 5. *Haran*, seu *Carrae*, ubi *Orodes* Parthorum rex necavit *Crassum* Romanum divitem.

II.

II. PERSIA.

Persia a *Perseo* dicitur, in longum et latum fere 400. milliaria porrigitur. Occidentem versus est *Tygris*. Ab Oriente India; ad Septemtrionem mare Caspium; ad meridiem sinus Persicus. Dividebatur olim in *Mediam*, *Hyrcaniam*, *Margianam*, *Assyriae partem*, *Susianam*, *Parthiam*, *Ariam*, *Paropanisum*, *Persidem proprie*, *Carmanniam*, *Drangianam*, *Arachosiam*, et *Gedrosiam*, hodie fere in 14. provincias dividitur; quarum 1. est *Farsistan* ubi urbs amplissima est *Schirasium* ad *Bendimir* fluvium, cum collegio nobilissimo gaudet, in vicinia est *Perseopolis*, olim regni metropolis ad *Araxem* fluvium, quam *Alexander M.* in gratiam *Thaidis* pellicis, a. M. 3724. succendit. 2. *Susiana*, ubi *Susa*, olim Regia, ad *Choaspim* fluvium. 3. *Erack* ubi est *Baldach*, unus in orbe e maximis civitatibus, *Ispahan* Persiae caput, cum suburbiis 8. milliaria Germ. ambitu suo complectitur, ubi et Catholici coenobia habent, huc spectat *Casbinum* urbs alias *Ecbatana*. In hac provincia ad fluv. *Lycum* fuit *Arbela* urbs, ubi *Alexander* tertio vicit *Darium* a. M. 3722. 4. *Adyrbeizan*, ubi urbs *Tabrisium*, 15. mille domos, 250. Moscheas, et 600. millia incolarum habet; ubi et P.P. Capucini existunt. *Ervanum* seu *Irvans* ad *Zengny* fluvium, soli Persae habitant, unde Turcos a. Ch. 1604. ejecerunt, hic hodie Serici maximum est commercium; in vicinia est

mons

mons *Ararath*, ubi Arca *Noe* consedit. 5. *Servania*, *Scirvan*, ubi Civitas *Derbentium*, Turcis *Ternir-Capi*, seu *Porta Ferrea*, ad *portas Caucaseas*, *Caspias*, seu *Iberias*. 6. *Gilania* ad lacus Caspii, ubi priori seculo *Ferahath* urbs est condita. 7. *Tabarestan*, ubi est urbs *Asterabatia*. 8. *Corasania*, a fabricis tapetum et sesicei panni nobilis, ubi urbs est *Heratum*. 9. *Sablustania* arcem fortissimam habet. 10. *Drangiana* hodie *Sigistania*. 11. *Gedrosia* hodie *Circan* et *Marcran*. 12. *Carmania*, seu *Kirman*, quo pertinet *Armusia* insula, quam Lusitani a Ch. 1507. expugnarunt; sed Persae auxilio Anglorum a. 1622. eis eripuerunt; quare dimidium proventum e telonio hodie etiam Anglis solvunt. 13. *Makeram*, cuius Princeps Persis subest. 14. *Mansandran* prope mare Caspium.

III. DE INDIA.

India Orientalis, ab *Indo* fluvio nominata, habet ad Septemtrionem Caucasum, ab Occidente Persiam, ab Oriente Chinam, ad meridiem mare Indicum. Dividitur in tria magna Imperia, 1. *Indostan* seu Imperium *Magni Mogolis*. 2. *India*, seu *Peninsula intra Gangem*. 3. India seu *Peninsula extra Gangem fluvium*.

I. *Imperium Magni Mogolis* seu *Indostan* est regio frugibus abundans, et mercimoniis celeberrima, Incolae *Nigri* sunt Ethnici. *Albi* (Mogols vocantur) sunt Mahometani. 38. Provinciae nume-

numerantur; inter quae praecipua est 1. *Agra* ubi est sedes Imperatoris, habet 15. fora; et ipsa urbs potest statuere 200. millia Armatos. 2. *Cambaja* Provincia, 30. Urbes mercimoniales censet, in urbe *Amadabat* per Pro-Regem gubernatur, annui reditus 20. milliones auri habet, et contra *Badures* gentem, Mogolis infensissimam, alit 12. mille equites, et 50. Elephantos. 3. *Cambaja*, urbs opulenta, in cujus vicinitate est *Surata* urbs cum portu, ambram, adamantes, sericum, cinnamomum, margaritas, et varias aromatum species subministrat; Galli, Angli, Hollandi, Armeni frequentes habitant. 4. *Bengala*, quae dividitur in propriam *Bengalam*, cujus caput est urbs *Daca*. Item in Regnum *Patna*, *Prurop*, et *Rodas*, quae ab Anglis, et Hollandis ob commercia celebrantur. 5. *Candabaria*, ubi aqua insalubris est.

II. *India seu Peninsula intra Gangem.* Regio subest Regi *Golcondae*, *et Visaporae*: continet quinque Littora. 1. *Littus Cuncan* ubi est regnum *Decanum*, Rex habitat in urbe *Visapora* ampla, et mercantili. Alia urbs est *Goa*, ubi aedes sacrae magnificae existunt. 2. *Littus Malabar* ubi est primum regnum *Angamale*; alterum vero regnum est *Calecutum*, cujus gubernator *Calecuti* residet, cujus rex olim *Zamorinus*, seu *Deus terrae* vocabatur. 3. *Littus Madura*, ubi regnum *Cranganor*, *Travancor*, *Porea*, *Tanor*, etc. 4. *Littus Coromandel*, ubi

varia sunt regna, uti a) *Narsinga*, cujus rex, se *Regem Regum*, *et Virum* 1000. *mulierum* compellat. b) *Bisnagar*. c) *Mellapora*, d) *Nagapatanum*, e) *Grangebar*, urbs portu donata, Danis paret. 5. *Littus Golconda*, ubi urbs ejus nominis est, praeterea *Masulipatam*, *Peropolis*, *Pahor*, *Cardipolis*, orizae, piperis et Gossypii dives.

III. *India seu Peninsula extra Gangem*, prope Chinam sita, dividitur in *septemtrionalem*, *Siamensem*, et *Orientalem*. In *Septemtrionali* tria sunt regna, nempe a) *Ava* b) *Peguanum*, muscum et rubinos profert; olim duo Imperia, et 6. regna complectebatur. c) *Aracan*, his tribus regnis imperat Rex *Avae*. — *Siamensis* regni opulentia patet ex pretiosissimis fanis et idolis, ubi urbs praecipua est *Siamum*, seu *India*, praecipuum monopolium Europaeorum est in insula *Mena*, seu ad *Matrem fluviorum*. — In parte *Orientali* est regnum a) *Cochinchinum*, cujus rex Sinensibus vectigalis, *Cacciani*, residet, et 50. portus habet. b) Regnum *Tunquinum* 20. mille urbes et oppida numerat; quarum praecipuae sunt: *Keccio*, *Bodego*, *Cuadac*, *Ketoi*, *Kuasai*, *Malacca peninsula*, *seu Chersonesus aurea*, vel *Ophir*, quam Hollandi expugnarunt a. Ch. 1640.

IV. TARTARIA MAGNA.

Tartaria Magna, Scythia, et Sarmatia, olim tertiam Asiae partem occupavit; includitur Perside,

side, China, Obio fluvio, et mari glaciali; vocaturque a *Tartar* fluvio, *Tartaria.* Dividitur in tres partes, nempe *Desertam*, *Zagatais* Provinciam, et *Turquestan.* 1. *Deserta Tartaria* extenditur usque montem *Imaus.* Hic Moscovitae, seu Russi duce *Joanne Basilide* a. Ch. 1554. subjugarunt varia regna, uti a) Regnum *Volgariae*, seu Bulgariae ad Volgam fluvium, ubi urbs *Bulgar*, incolae *Hordas-taxeti* seu liberi vocantur, eorum Principes *Flixi*, et *Ulanka*, seu *Magni Chami* vocantur. b) Regnum *Casan* ab urbe *Casan* dictum, idem Russiae Dux a. 1552. occupavit. c) Regnum *Olgariae*, seu *Kalmucorum.* d) Regnum *Siberiae*, seu *Pascatir*, ubi praeter metropolim Urbem *Siberiam*, est *Tobolium*, habitat A. Episcopus: ad cujus orientem habitant *Tingoes*, et Tartari *Lucomoriani.* e) *Samojedia*, ab antropophagis habitabatur. II. In Provincia *Zagatayae*, urbs est *Samarcanda*, seu *Maracanda*, insigne monopolium, et hic natus fuit *Tamerlanes.* III. Regnum *Turquestan* Massagethae, et Turcae olim habitarunt; unde etiam probabilius Turcae seu Hungari tardius dicti prodiverunt. Praecipua urbs erat *Belk* Principis habitatio: quo plura regna olim pertinebant, uti: *Thibet*, seu *Tobbat*, *Maurenaher*, *Mongal*, *Moal*, seu Magog. *Tangut*, *Taniu*, seu *Bogargbar*, *Jupia*, deinde *Tartaria Chinensis*, seu China extra muros, ubi est regnum *Niucanum* seu *Tenduc*, cujus rex a. Ch. 1644. Chinam devastans, etiam subjugavit.

V. DE CHINA.

China seu *Sina* separatur muro a Tartaria, ab oriente est Oceanus; longitudo et latitudo. 600. mill. Urbes praecipuae *Fu* sunt 160. Minores *Cheu* 240. Parvae *Hien* 2357. China dividitur in *Meridionalem*, et *Septemtrionalem*. et 57. Provincias ab Urbibus nominatas numerat; ex quibus praecipua est 1. *Pekinum* olim *Cambalu* in Cataya provincia *a*) Caput Imperii, et sedes Imperatoris, cujus magnitudo 25. milliarium est. Incolarum numerus 600,000. haec provincia numerat 143. Urbes. II. *Nanquinum* ad *Kiang* fluvium, Pekino aequalis, et ante a. 1404. Imperatoris sedes, urbes majores 14. minores 100. habet. III. *Canton*, urbes 100. habet, praecipuae sunt *Naning*, *Taiping*, *Huming*, *et Chinqua*, optima materia porcellana gaudet; sed a. Ch. 1650. a Tartaris magna damna accepit. IV. *Sigan* in provincia *Xamsi* prima urbs, cum aliis 76. in cujus vicinis fontibus tam calidae sunt aquae, ut absque igne caro coqui possit. V. *Hangoheu*, et *Kiocing*, quarum incolae serico aurum intertexere optime sciunt, ubi mori copiosissimae bombices frequentes alunt. Praeterea ad urbem *Taigan* est mons *Tai* quinque milliaria altus, quem diversa fana ornant.

VI.

---

a) ut notat M. Polus Venetus. et P. Kircherus e S. I. Joan. Hübner.

VI. DE INSULIS ASIATICIS.

Insulae Asiaticae sunt: 1. *Cyprus*, 2. *Rhodus*, de quibus in provincia *Alauduli* jam vidimus. 3. *Insulae Maldivae* 13. provincias habent, quae limaces optimos, ambram, nuces indicas, et granata proferunt, *Sultanus* in *Male* insula residet; incolae nudi incedunt, et Medicinae student. 4. *Ceilon*, *Salomon* Rex vocavit *Ophir*, Indi vocant *Tenarifa*, seu *terram voluptatis* ob aeris salubritatem; in ambitu 150. millia complectitur; et numerat IX. regna: ex quibus ditissimum est *Candea*, ubi urbs *Candi* ad fluvium *Turinguemale* frequens est. Incolae Ethnici, Christiani, et Mahometani, omnes ad praelia nati. Alii dicunt hanc insulam detectam fuisse a. 1506. per *Laurentium Almeida*; alii vero per *Lopesium Siquiera* a. 1509. ceterum hinc Lusitanos a. 1606. ejecerunt Hollandi. 5. *Sumatra* copiosos habet tauros, equos, tigrides; camphora, item serico, Gossypio, et unionibus genus humanum locupletat. Admiranda est hic *arbor tristis*, quae odore floris totam regionem amoenam reddit. Regna minora sunt: *Achem*, *Camphor*, *Jambi*, *Menachabo*, *Pacem*, *Palimban*, *Plaedir*. 6. *Java Major*, longa 140. mill. Germ. in novem regna divisa; subest *Materan*, et *Bantam* regibus: praecipua urbs est *Banta*, seu *Batavia* ab Hollandis a. 1618. subacta. 7. *Borneo*, ex insulis maxima, Sultanus Mahomedanus in urbe *Borneo*, quae palis innititur, habitat. 8. *Celebes*, cum urbe *Macassar* ubi portus

tus tutus, et tamen Mercatores nullum telonium solvunt. 9. *Moluccae* sub aequatore; dividuntur 1. in majores insulas, uti: *Celebes*, *Gilolo*, *Ceram*, *Flores*, *Timor*, *Amboina*, *Terra dos Papos*, *seu Nigrorum.* 2. Minores uti: *Moluccenses* proprie, *Ternate*, *Machian*, *Batir*, *Tidor*, potissimum Hollandis vectigal solvunt. 10. *Philippinae* fere 1200. insulas complectuntur, nomen accepit a *Philippo II.* Hispaniae Rege; praecipuae sunt *Manilla*, seu *Luconia* pavonibus, et crocodilis abundat, item *Mindanao*, mecantilis. 11. *Formosa* cinnamomo et auro dives, quo Hollandi a. 1635. pulsis Lusitanis, colonias deduxerunt; sed Insulam et urbem *Theovan* Chinenses occuparunt, saccaro coquendo intenti. 12. *Japponiae* Insulae in tres partes dividuntur, uti *Niphoniam*, *Ximo*, et *Xiccoco*, in Niphonia 75 provinciae sunt, ubi *Amangucium* cum insigni portu. *Ximo* 9. regna habet, praecipuum est regnum *Bungi*. In *Xiccoco* 5. regna sunt; Rex habitat in urbe *Jeddo* ad rippam *Tonkato*, cujus cubile in quo legatos excipit, auro stratum est. Regem intueri incolis raro licet. Demones, Heroes, et Reges defunctos olim colebant, et *Bonsii* sacra administrabant. Japponiam a Lusitanis a. 1542. detectam, *S. Xaverius* 1549. adiens, 200. millia ad fidem Christi convertit, cujus socius P. *Cosmus Turrianus* Amangucii Regem baptizavit; hodie missionarii eo iterum penetrant.

AFRI-

AFRICA.

Africa ad septemtrionem habet Mare Mediterraneum, ad Orientem mare Rubrum, ab occidente Atlanticum, a Meridie Aethiopicum, in longum 1600. mill. latum 1400 mill. complectitur; ubi *Nilus*, et *Niger* praecipui fluvii sunt. Olim Poenos, et Aethiopes habuit incolas; dein Phoenices, et Graecos. Dividitur in *Occicentalem* et *Orientalem*, — Occidentalis continet *Barbariam*, *Bilidulgeridiam*, *Saaram*, *Nigritiam*, et *Guineam*. Orientalis vero *Aegyptum* et *Aethiopiam*

DE BARBARIA.

Barbaria ad occidentem habet Mare Atlanticum, ab Oriente Aegyptum, in ea sunt Regna; 1. Fessanum. 2. Maroccanum. 3. Algerianum. 4. Tunetanum. 5. Tripolitanum. 6. Barcanum.

I. In *Fessano* regno, quod olim *Ampelusia* dictum, et Mauritaniam Tingitanam constituerat, urbes praecipuae sunt. a) *Fessa* regni metropolis, et mercatu celebris. b) *Sala* olim a Pyratis infamis. c) *Miquenesia* olim Regia d) *Alkasaria parva*, Gibraltariae objecta. e) *Arzilla* munita et portu gaudens. f) *Tetuanum* respublica cum portu. g) *Ceuta* ad montem *Avilam*, Hispanis subjecta. h) *Lixa* seu *Arois*, quam Barbari Hispanis eripuerunt. i) *Tingis*, seu *Tanger* ad fretum Herculeum: quam Hollandi a Lusitanis acceperunt; dein diruerunt: a Mauris tamen reaedificata.

II. In *Maroccano* regno sunt 7. provinciae; prima regni urbs est *Marocco*. 2. *Mazaganum* seu *Boreja*. Regnum hoc hodie Imperatorem habet.

III. In *Algeriano* regno urbes sunt 1. *Algeria*, *Ruscurium* metropolis est, portus arce defenditur fere inexpugnabili; praeter Mauros, Turcas, et Judaeos, dicunt eam habitare 40000. Mancipiorum Eeuropaeorum. 2. *Constantina*, olim Regia. 3. *Bugia* cum portu. 4. *Igilgelium* portus, a Gallis occupatus, sed desertus. 5. *Tremesen*, 6. *Oranum* munitio cum portu tuto: quam *Ximenius* Cardinalis a. 1509. in Hispanorum potestatem redegit; dein saepius oppugnata, tandem a. 1708. Mauri denuo expugnarunt. 7. *Eona*, seu *Hippona*, ubi Genuenses castrum posuerunt contra Golsaros.

IV. In *Tunetano* regno, praeter *Guletam* est munimen celebre *Tunetum*, seu *Tunis* metropolis, cui *Carolus V.* Imp. Regem praefecit a. 1535. sed brevi in Aristocraticum transivit. In hujus urbis vicinitate, in terra veteris Metagonitis, ad ostium *Magaradae* fluvii erat aemula illa Romani Imperii Urbs *Carthago*.

V. *Tripolitanum* regnum, habet urbem munitam *Tripolim*; cui Galli a. 1665. per oppugnationem magna damna intulerunt.

VI. *Barcanum* regnum est in vicinia Aegypti, et Libyae. Praecipua urbs est *Barcan*, in ejus vicinitate est *Syrtis major*, quo olim Getuli pervenerunt. Hic olim celebris civitas fuit. *Cyrene*,

alias

alias *Libya Cyrenaica*, seu a quinque civitatibus *Pentapolis* dicta a Graecis. Hic erat sita etiam Antiqua *Mestrata* urbs, seu *Cairoan*, ubi erat Oraculum, seu *Ammonis* templum, *a*) ab *Alexandro M.* consultum, quod tum *Cambyses* spoliare voluisset, 50,000. milites arena obrutos amisit. Alia pars *Barcani* regni est vetus *Marmatica*, ubi *Garamantes* habitabant, et juxta hos *Psylli* populi.

De Regnis, Bilidulgeridiae, Saara, Nigritia, et Guinea.

I. *Bilidulgeridia*, ob nimium calorem, praeter dactylos vix fructum profert. Olim a Numidis, seu Nomadibus habitata, hodie celeberrimum regnum in ea est *Segelmesse*, ubi Gubernatores Turcis subsunt.

II. *Saara* seu *Desertum*, olim *Interior Libya*, a Mahometanis incolitur, habet minora regna sequentia: *Berdoa*, *Bormo*, *Lempta*, *Targa*, *Zamboga*.

III. *Nigritia* sub zona torrida, auri, et argenti dives, sic nominata vel a nigris colonis; vel a maximo Africae fluvio *Nigro.* Commercium exercent cum mancipiis; qui olim; ut et recentioribus temporibus ab Hispanis ad *Caput Viride* coempti, in Americam ad fodinas colendas transferuntur; numerat sequentes provincias: *Gangara*, *Cassena*, *Guber*, *Mandinga*, *Senega*, *Gaoga*, *Melli*, *Tombut*, *Agades*, *Cano*, *Zamfara*, *Biafara.*

IV.

---

a) Curtius L. 4.

IV. *Guinea* äere calido, saccharo, gossypio, pigere, auro, et elephantibus gaudet; dividitur in tres praecipuas provincias, uti: *Malaguette*, *Bennin*, et *Guineam propriam*; hae iterum in orientalem, et occidentalem dividuntur. Coloni nigri, variis Regibus subsunt; sic Hollandi possident arces *S. Georgii*, *dela Mina*, *Nassoviam*, *Aximum*, et *Cormentin*. Borussi *Magnum Fridericoburgum*, Angli *Caput Carsum*, et *Eniacha*. Dani Arces *Fridericoburgum*, et *Christianoburgum*. Benignensium rex primo a 1606. Religionem Christi assumpsit.

DE AEGYPTO.

Aegyptus olim *Aeria* vel *Mesraim* dicta, complectitur in amhitu 242: mill. Germ. cingitur Nubia, Abyssinia, et Arabia. Dividitur in *Bahri*, *Vostani*, et *Said* partes, seu in *Inferiorem*, *Mediam*, et *Superiorem*. Nilus post solstitium aestivum inundat; terra adeo est arenosa, ut dum Nili aquis caret, integrae etiam societates arena sepeliuntur. *Diodorus Siculus* dicit, urbes 18,000. ibi fuisse. *Pomponius Mela* vero 20,000. adserit. Nunc praecipuae urbes sunt: 1. *Cairus*, seu *Aegypti Babylon* ad Nilum, ubi se in ostia dividit. Urbs in orbe fere maxima, constat ex *Bulac*, *Nova* et *Antiqua Cairo*, plateas numerat 24,000. ad vetus Cairo prope sunt Pyramides et obelisci, in quibus aromatibus condita cadavera incorrupta, seu *Mumiae* conservantur. 2. *Alexandria* ab *Alexandro M.* condita, ce-

le-

leberrimum iter in Indiam. 3. *Damiata*, seu *Pelusium*, portu insignis, quam *Andreas II.* Rex Hungariae a. 1218. expugnavit: olim hic Sapientum studia floruerunt. 4. *Suesia*, *Posidium*, urbs mercimonialis Asiae contermina. 5. *Aziruth* ubi Israelitae per mare rubrum sicco pede transiverunt. 6. *Taphnis*, seu *Cathia*, olim Pharaonum sedes.

DE AETHIOPIA.

Aethiopia in superiorem, et inferiorem dividitur, provincias aut Littora censet sequentia: *Nubiam*, *Abyssiniam*, *Congum*, *Cafreriam*, *Zanguebar*, et *Monotapam*, incolunt gentes diversae horribiles, et servitutem nunquam expertae.

I. *Nubia* ad Nilum, auri, eboris, et toxici dives, habitatores Nigri, potissimum Mahometani, et Christiani Cophtici, urbs praecipua est *Dangala*, proprio Regi subest.

II. *Abyssinia* auro et unionibus affluens, terram adeo foecundam habet, ut in aliquibus locis, uno anno tres plane messes incolae recipiunt; urbe notabili caret. Imperator pro lubitu civitates incolit. Christiani plures sunt quam Mahometani, et Judaei. Anno 1513. *Matthaeus Armenius*, legatus in Lusitaniam missus, *Manueli* Lusitaniae Regi, Crucem ex *ligno SS. Crucis Christi* confectam, dono obtulit. Milites stipendii loco certam terrae partem colendam obtinent.

nent. Imperator ius successionis, potest cui vult ex prolibus conferre.

III. *Congo*, seu *Manicongo*, terram fertilem habet, et in 6. provincias dividitur; uti: *Pango*, *Souda*, *Longo*, *Bamba*, *Pemba*, et *Batta*, urbs praecipua est *Soteropolis*, seu *Fanum SS. Salvatoris*, residentia Regis Christiani; in cujus vicinitate est Regnum *Loango* quod proprium Regem habet. Item Regio *Ambundorum* seu *Angolà* cujus Rex vectigalis est Regi *Congi*. Urbem *Laondam* cum portu, et argenti fodinis, Lusitani possident.

IV. *Cafreriam* incolunt nigri, et qui ad occidentem habitant vocantur *Hottentotæ*, qui crudà carne vescuntur. Ad orientem in regna sunt divisi, ex quibus regnum *Zofala* Lusitanis paret.

V. *Zanguebaria* ad orientem salubrem auram habet, et incolas paucos, eosque idololatras alit; dividitur in varia regna. Regni *Mosambici* metropolim Lusitani possident, et hic ex India reduces quiescunt. His paret et urbs *Quilea*. — Est hic Regio *Ajania* seu *Nova Arabia*, ubi praeter Rempublicam *Brava*, est regnum *Adelum*, cujus rex Mahometanus est. Regnum *Magadoxo* cum portu Abyssini possident. *Novae Arabiae* partem Septemtrionalem Turci cum urbe *Suaquen*, per Beglerbegos tenent.

VI. *Monomotapa* Regio, auro dives, 20. regna numerat, supremus Rex *Caèsaris* titulo utitur, et in urbe *Monomotapa* residet. a. 1560.

Im-

Imperator cum tota familia et matre Religionem Christi assumpsit, et per *Consalvum Silveria* S. J. Patrem baptisatus est. Anno 1605. rebelles contra Imperatorem Proceres, Lusitani edomuerunt; et Imperatorem throno deturbatum solio reposuerunt; quare Imperator, perpetuo jure Lusitanis cessit argenti fodinas.

DE INSULIS AFRICAE.

Insulae Africanae, in *Oceano Atlantico* sunt tres praecipuae, uti: *Canariae*, *Teneriffa*, et *Madera*. *Canariae* Maroccano regno objectae, in Hispanorum potestate sunt, ab avibus, terna messe notae. *Teneriffa* maximo totius Orbis monte *Pico* gaudet; loca praecipua sunt: *Forteventura*, *Gomer*, *Ferro*, *Palma*, *Lancellota*, *Canaria*. Item Insulae *Capo Verde*, seu *S. Thomae* quam Galli a. 1709. Lusitanis eripuerunt *S. Matthaei*. *S. Helene*, *Borbonia*, *Marcarlene* seu *S. Apolloniae*, *Madagascar*, ubi pulcherrimi psittaci sunt. Insula *Formosa* paret Lusitanis, hominibus et feris culta. Hollandorum est *S. Mauritii*; prout Anglorum *S. Helenae* memorabilis a captivitate *Napoleonis* condam Galliae Regis et Imperatoris; qui etiam ibidem mortuus est. In *Mari Indico* sunt Insulae *Mascarenicae*.

DE AMERICA.

America ab *Americo Vesputio* a. 1497. detecta, propter distantiam, et opulentiam a Nau-

tis

tis *India occidentalis* vocatur. A Septemtrione habet mare glaciale et Fretum Hudzonis, a Meridie Fretum Magellanicum, ab ortu mare Atlanticum; ab occidente mare Pacificum. Fluvii praecipui sunt 4. uti: *S. Laurentii* in Canada. *Misissipi* in Florida. *De la Plata* seu fluvius argenteus in Paraguai. Denique *Fluvius Amazonum.* Latitudo 1300. mill. Longitudo 2400. mill. aequat. In duas dividitur peninsulas exiguo Isthmo conjunctas; una *Septemtrionalis*, seu *Mexicana;* alia *Meridionalis* seu *Peruviana* dicitur: *Peruviana* continet *Terram Firmam*, *Peruviam*, *Chili*, *Terram Magellanicam*, *Tucumanniam*, *Paraquariam*, *Brasiliam*, *et Regnum Amazonum.* Septemtrionalis vero habet: *Mexicum novum*, *et antiquum*, *Floridam*, *et Canadam.* Quibus accedunt etiam Insulae Americanae. In America, varios regulos deposuerunt Hispani, qui ceteros Europaeos tam possessione, quam potentia superant in America. Tabacco, saccaro, margaritis abundat: ex auro et argento plures milliones annue lucrantur Hispani. Mexicani, et Peruani Imperatoribus suis parent; Rempublicam tamen *Juntae* administrant.

Insulae Americanae aliae Majores, aliae Minores vocantur. Majores sunt; uti *Antillae*, *Hispaniola*, *Jamaica*, *Cuba*, et *Porto Ricco.* Minores Insulae sunt: *Luccajae* sub Florida, *Caribicae*, *Canadi*, *Beremudes*, *Azores.* De quibus alibi plura videbimus. *a*)

a)

a) Pro Geographica descriptione consule Lexicon *Ioannis Hübner*. Historicum Lexicon *Budaei*. Historiae Indicae *Petri Maffaei*. Geographiam *Petri du Vall*. Item *Ioannes Aubanus*, de gentium moribus, ritibus, et locorum situ. *Daniel Cellarius* Orbis Universi descriptio. *Philippus Brietius* Annus Chronologicus. *Zachariae Hogeli* Horologium Historicorum etc.

PARS

PARS PRIMA

HISTORIAE UNIVERSALIS GENTIUM

VETERIS TESTAMENTI, SEU HISTORIA ANTIQUA

Caput I.

Exhibens eventus mundi Antediluvianos, ab anno mundi 1. usque annum m. 1656.

§. 1. *Geographico - statistica notio mundi.* Omnium quod nobis de figura et habitu globi terraquei ante diluvium ex indiciis probabilioribus cognitum est, innititur partim *Moysis* relationibus, partim liberis ac suapte fluentibus argumentis, et conclusionibus, quae ex his relationibus deducuntur. *Aërem* ante diluvium longe puriorem ac salubriorem, quam postea fuisse exploratum est. Penuria autem *imbrium*, et *iridis*, quam nonnulli dictitant; ex solida hac ratione rejicienda est: quia Orbis e manibus Summi Creatoris nonnisi optimo in statu provenire potuit. Lapsus hominis, attulit quidem super eo Divinam maledictionem, misericors tamen Divini Numinis bonitas, non sivit per eam opus suae providentiae interire. *Adamo* et ejus posteris agrorum cultura cum onere et gravi molestia

lestia imposita est, attamen ita: ut penes hanc firma confidentia divinam benedictionem sperarent. *Fertilitas* regionis * tam fuit ampla, atque virtus herbarum et fructuum tam eximia; ut praeter alios effectus, admiratione dignam diuturnitatem vitae, inter homines ejus aetatis promoverent. Ex Paradiso ejecti *Adam* et *Eva*, in *Edene* Babiloniae provincia fertili et amoena domicilium fixerunt. *Urbium* et *Oppidorum* prima notitia ex historia *Caini* colligitur. *a*) *Fluviorum* etiam fit mentio in Sacris literis. Num vero *Oceánus* ante diluvium exstiterit *b*) *Moyses* expresse meminit Deum collectionem aquarum dixisse *Mare*, unde facile contradictores convincentur. Hinc et eorum error patet: qui originem *montium* non a creatione, sed ab effectibus diluvii repetunt; nam praeter alia argumenta, *Moyses c*) definite de summis montiumCulminibus loquitur, quae occassione diluvii aqua obundavit.

* Paradisus Persica lingva hortum deliciis et amoenitatibus refertum notat: quem alii in Babylonia *d*) alii ad Tigrim et Euphratem, *e*) Alii ad Gihon, et Pison *f*) et hi Gehon vocant Nilum; Pison autem Gangem. Ceterum Tigris fluvius ab Hebraeis appellatur

C alii

a) Pomponius Mela. L: 1. c. 11. Solinus c. 34. Plinius. Hist. Natura. L. 5: c. 13. *b*) Gen. 1. v. 9. *c*) Gen. 7. v. 19. 20. Etychius. Annal. p. 15 *d*) Bocchart. Geogr. P. I. Pahleg. L. I. c. 4. Huetíus Tract. de situ Paradisi *e*) Scaliger. L. 5. de emend. temp. p. 369. seq. et L. 4. Epist. 441. Kircherus. Tab. chron, L. I. de turri Babel. c. 5. *f*) Solinus. c, 32. Jos. Fluvius. Antiq. L. t. c. 2.

Chiddekel, qui a Graecis Tigris dicitur; ab Arabibus vero *Schat al Arab* seu fluvius Arabum. Ast inundatio Orbis per diluvium adeo vel vestigia devastavit; ex quibus situs ac regio paradisi definiri possit, ut ne verosimilem conjecturam hodie inde elicere liceat.

§. 2. *Status Mundi, et Hominum primorum.* Primus atque maximi momenti eventus in Veteri Historia babetur *Creatio Mundi.* Haud enim dubie jam perspicuum est ex saniorum mentium doctrinis, Mundum neque fortuito; neque a se ipso coaluisse; neque ab aeterno exstitisse; sed singulare aliquod Divinae omnipotentiae Opus esse. Ab hac sententia, opiniones Philosophorum, *a*) qui sanae rationis prorsus varium faciunt usum, probe discernendae sunt. Deus omnipotentiae suae viribus, uno momento universum producere potuisset orbem, sed visum est immensae ejus sapientiae sex dierum spatium in totius effabricationem insumere; cujus sapientia elucebat etiam in ordine ac consecutione diuturnorum pensorum. Praecedentia enim Divini Numinis opera connexam quamdam cum sequentibus pensis indicabant utilitatem, et ad ea influxum; aliud enim haud erat necessum, quam ut mundus ad productionem et conservationem crescentium et viventium animalium idoneus reddatur. Ideo Deus primis diebus se circa haec occupavit; et post praeparatam creaturarum habitationem, successerunt, ipsae creaturae, ubi

a) Welt Historic amleit. T. I. p. 9. ubi Hypotheses Parthesii, Burneti et Winstoni, comparate ad demonstrationem Mosaicae expositionis explanatur, et in examen assumitur.

minus perfectae antecesserunt perfectiores. Initium a Deo factum est in procreatione vegetabilium, quas sequebantur sensibus praeditae creaturae seu animantia; finem demum imponebant Creaturae ratione donatae sive Homines; inter quos citra omnem controversiam primus erat homo *Adamus*, ac Protoparens non modo Judaeorum, *) sed generatim omnium reliquorum etiam hominum, cujus corpus ultimo die e limo terrae Deus produxit; quocum jam antea ex nihilo, vel vero eodem tempore creata immortalis anima, per divinam quamdam infusionem copulata fuit. *Adamo* divinitus destinata coniux *Eva*, mater omnium existentium hominum efformata est, ex una corporis sui costa. *a*) Protoparentes sub initium adeo erant felices, ut illis feliciores concipi nequeunt. Ipsa ad imaginem Dei *similitudo formae*, *immortalitas*, *imperium in universum orbem*, *et in ejus creaturas*, *ac bona*; quae totidem praerogativae, Divini Numinis voluntate etiam ad eorum posteros erant propagandae. Habitationi illis inserviebat Paradisus, ubi eousque simplicissimam ac beatam duxerunt vitam, donec insidiis Diaboli capti, vetitae arboris fructum comedendo, a Deo defecissent, ac ideo in poenam una cum uxore *Eva* e Paradiso ejecti sunt.

---

a) Gen. c. 1. et 2. v. 21. et 22.

*) *Isaacus Peyrerius* Gallus seculo XVII. scripsit de Praeadamitis, quo in Systemate statuit; jam ante Adamum exstitisse plures homines, quos *Praeadamitas* vocat. — *Theophrastus Paracelsus* autem duos *Adamos* statuit, unum pro Asia, alterum pro America. Quas sententias refutatas vide apud *Hieremiam a Bennetis*. Chron. et Critica Hist. sacr. et Prof. T. II. p. 541. *Peyrerius* autem a plurimis eruditis, uti: *Hilperto*, *Micraelio*, *Ursino*, *Maresio* etc. refutatus est. Neque textus S. Scripturae de Abele sonans: quod fuerit Pastor ovium *a*) sic accipi debet; quasi contra fures custodivisset, sed contra feras bestias, et ut oves ad meliora pascua deducantur. — Neque *Caini* dictum *b*) *qui invenerit me, occidet me,* intelligi potest judicium profanum, sed remorsus conscientiae. Neque *tunicas pellicéas* *c*) quas Deus *Adamo* dedit, fecerunt opifices, sed naturalis animalium pellis erat. etc. De quibus Theologi, ad quos etiam proprie spectat, quoniam satis disputant; alia nobis secure transire licet.

§. 3. *Status Religionis.* Religio quae in ipsa creatione primo homini fuit indita, dicitur *Naturalis*, eratque sufficiens in statu innocentiae; sed postquam protoparentes in peccatum lapsi fuissent, hoc facto et religio eorum naturalis, vitiosa et insufficiens raddita est; qua propter Deus hominibus lapsis aliam religionis formam praescripsit, promittendo eis venturum Messiam in cujus loquentis Dei promissis, quum non tantum, crederent et sperarent, sed insuper etiam scirent Deum verum et unum existere, patet primorum hominum religionem talem fuisse: quae proposuit 1. Unum verum Deum existere.

2.

a) Gen. c. 4. v. 1. *b*) Gen. c. 4. v. 14. *c*) Gen c. 3. v. 21.

2. Spem in Venturum Messiam. 3. Cultum veri Dei, ut patet ex sacrificiis *Abelis* et *Caini.* Itaque Protoparentes dum ob peccatum, incomparabile illud innocentiae donum, et Dei gratiam amisissent, mox secuta erat totius humani generis miserrima ruina; quam tamen Dei misericordia gratiosissimo venturi seminis promisso, in ipso Paradiso resarcire coepit; qua promissi Redemtoris spe erectus *Adam*, 930. annis vivens plures suscepit liberos, inter quos maxime noti sunt *Cainus*, et *Sethus.* A *Caino* fratris *Abelis* interfectore, descendit impia natio Cainaeorum. A *Setho* vero descenderunt Patriarchae, seu filii Dei dicti. Ceterum *Caini* posteri in rebus seculi non minori felicitate quam alii ex piissimis floruerunt, ii enim ingenii dotibus, inventisque artibus ad vitae humanae commoda, et ornamenta, optimos quosque superabunt. Ex pia *Sethi* progenie nati sunt Patriarchae, uti: *Enoch*, *Cainan*, *Malaleel*, *Jared*, *Henoch*, *Mathusalem*, *Lamech*, *Noe*, quibus omnibus praecipuum erat colere Deum. Inter hos decem Patriarchas, praeter *Adamum*, commemorandi sunt: *Enos* qui solennem et publicum Dei cultum instituit. *Henoch* qui post *Adami* mortem, ob suam pietatem vivens in coelum sublatus est. *Mathusalem* omnium hominum maxime longaevus celebratur; cujus et aliorum Patriarcharum aetatem, äer purus, frugum fructuumque praestantia, ac victus simplicitas maxime promovit; prout haec omnia experientia etiam teste, ad aeta-

aetatem hominum diu vegetam conservandam non parum conferre solent. Inter has naturae vicissitudines evenit, ut filii Dei ex Sancta *Sethi* stirpe orti, cum impia *Caini* progenie matrimonia iungerent, verisque moribus in deteriora haberentur: quó ex commercio dein Gigantes sunt prognati, ac successive in omne voluptatum et flagitiorum genus ruentes, iram Supremi Numinis inse provocarunt; nempe universalem creaturam aquis diluvii perdendam: quae tamen ex irae, vindictaeque medio, ut Divina misericordia elucesceret, centum viginti anni mortalibus ad resipiscendum concessi sunt. Quo tempore assiduum justitiae praeconem *Noe* egit; cujus verbis ut major auctoritas accederet, Deo mandante, stupendae molis arcae constructionem in oculis omnium aggressus est; et prout sibi imperatum opus perfecit, mox septem ex mundis, binis ex immundis animalibus in arcam receptis, eandem *a*) cum *Sem*, *Cham*, *et Japhet* filiis, item sua, filiorumque uxoribus, a. M. 1656. ingressi sunt; et mox imber de coelo fundi coepit, *b*) quae communi omnium terrarum eluvione, absumtis reliquis animantibus, ipsum humanum genus ad octo capita redactum est. — Terribilis huius diluvii memoria, apud universos

---

a) Joan. de Pelletier. Dissertatio de figura, et dimensurationibus arcae. edit. Rhotomag. a. 1700. probat aedificium suffecisse ad excipienda omnia animalia, cum omnibus vitae necessariis. *b*) Gen. c. 6. et 7.

sos populos mansit, quotam consensio relatam *Moysis c*) narrationem mire confirmat. Sic *Berosus* Chaldaicus scriptor *d*) partem navigii hujus in Armenia apud montem Cordycaeorum superesse statuit. Alii *e*) *Barim* montem in Armenia servatum fuisse contendunt. *Abidenus f*) Assyrius scriptor facit mentionem avium ter a *Xisuthro* emissarum. Imo in America Peruani, et Mexicani Universalem mundi inundationem, picturis notisque proditam ab antiquo habent *g*) Praeterea de diluvio testantur etiam marinorum corporum reliquiae, quae in hunc diem non humilioribus solum locis, sed in altissimis etiam moutibus innumerae deprehenduntur. Multi tamen asserunt unam aliamve tantum regionem tunc inundatam fuisse; sed illi prout Historiae Sacrae et prophanae fidei repugnant, ita nullam idoneam causam reddere sciunt, cur aquae altissimos montes superantes quaqua versum non difluxerint? et cur Deus potius voluisset, ut *Noe* operose arcam construeret, quam de regione inundanda, in aliam transire jussisset.

§. 4. *Forma regiminis* ante diluvium, apud eos qui a *Setho* descenderunt, erat Patriarchalis. Inter posteros autem *Caini* variae consurrexerunt. Societates, et tyrannica imperia; quorum etiam in S. Scriptura fit mentio nomine *Ne-*

---

a) ibid. et c. 8. *b*) apud Joseph. Antiq. Jud. L. 1. c. 4. *c*) Nicolaus Damasc. c. 8. §. 14. 15. cap. 10. §. 32. *d*) ap. Cyril. Alexand. L. 1. c. Julian. g) Jonston. admir. Elem. c. 3. art. 7.

philim, seu Tyrannorum Bellis praelusit *Abelis* caedes a *Caino* ex invidia patrata. Ceterum inter Cainitas et Adamitas bella iam fuisse, non vana est suspicio; nam tubas et arma, aliaque belli instrumenta ante diluvium inventa scimus. *a*)

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Licet Patres antediluviani, literarum et artium rudes passim censeantur, ob longaevam tamen vitam, in notitia rerum naturalium et agricultura excellere debuerunt; nam teste scriptura: *Cainus* architecturae et aedificandarum urbium auctor fuit, *b*) qui et urbem *Hanochiam* condidit; ex cujus stemmate orti, uti: *Jubal* tentoriorum et mappalium; *Jabal* Citharae, Organi, et musicorum instrumentorum; *Tubalcain* vero artium ferri fabrilium inventores celebrantur. Inter fabulas vero referenda sunt ea, quae de relictis quindecim libris *Adami*, et de columnis *Sethi*, dicuntur. De aliis enim scientiis vigentibus nihil constat. Notitia autem primae lingvae, qua *Adam* usus est, seu illa Hebraica, ut multi putant; seu alia fuerit; divinitus ei indita videtur: statim enim post sui creationem, quin spatium vocabula excogitandi haberet, nomina cunctis animalibus imposuit; imo cum *Eva* vix sibi adjuncta, jam sermocinatus est. Et certe famosus ille *Rousseau*, qui omnibus miraculis temere fidem negabat, fateri tamen est compulsus, primam lingvae inventionem, humanas facultates omnino excessisse.

---

a) vide apud Genebrardum. *b*) Gen. c. 4. 17.

Caput II.

Sistens Historiam Generis Humani post diluvium usque Abrahami vocationem. ab a. M.
1656 — 2079.

§. 1. *Geographico statistica notio.* Preterlapso Diluvio *Noe* ex arca eggressus in Armeniae monte *Ararat*, ante omnia *a*) Sacrificium Servatori Deo offerens, mox ad agrorum cultum redivit, *b*) ac brevi ab ejus tribus filiis genus humanum tanta incrementa cepit, ut appareret non amplius una regione contineri posse, ac ideo alias etiam orbis partes frequentandas fore; antequam tamen dilaberentur, *c*) ut magnam sui famam futuris relinquerent. turrim altissimam in campo *Sinear* condendam agente potissimum *Nemrodo* decreverunt; quo tempore omnes homines ad unam *Noemi* familiam pertinebant, et una eadem lingva utebantur, quam Deus ad superbum eorum canatum frustrandum ita confudit, ut alii ab aliis intelligi nequirent: sic sublato vocis commercio, coeptum opus intermittere, *d*) ac in diversas orbis plagas discedere coacti

---

a) Gen. c. 8. v. 20. seq. *b*) Idem. C. 9. v. 20. Sam. Bochart. in Phaleg. P. I. Geor. S. L. I. c. 3—5 *c*) idem ibid. c. 9. Heidegger. de Patriarch. P. I. exer. 21. Joach. Columbi. Diss. de turri Babel. *d*) Gen. XI. v. 1—9. Vitringa. Sacr. observat. L. I. c. 1.

coacti sunt. Interrupta aedificatio *Babel* nomen obtinuit, ubi tardius *Babylon* urbs exstructa est. A primo itaque domicilio discedentibus tribus *Noe* filiis, seu Dei oraculo, *a*) seu patris consilio, seu spontanea electione, tres universi orbis partes distributae aut occupatae sunt. *Semo* principes Asiae portiones, *Chamo* Afriae, *Japheto* Europae obvenerunt. De America, licet ceterae toti terrae non tantum magnitudine, sed omnis generis divitiis facile aequali, in S. Literis semper altum est silentium. Ceterum post dispersionem, homines ut ex familiis paulatim in populos et nationes crescebant; ita vel sponte sua, vei fortuito, vel locorum natura inducti; ad varia vitae genera devenerunt. Qui in Babylonia unde migratio coepta est, aliisque Asiae temperatae, et Aegypti fertilibus terris sedes ceperant., paulopost in civiles societates, et parva regna coaluerunt, stabiles sibi domos, vicos et urbes condiderunt; agriculturae, omniumque inventarum ante diluvium artium, quas a *Noemo*, ejusque filiis didicerant, usum et exercitium retinuerunt. Alii vero ab his longius progressi, quum et in loca minus fertilia pervenirent, et continua separatione plerumque ad pauca capita reciderent; neglecto, aut oblivioni dato frugum cultu, partim pecuariae rei curan-

dae

---

a) Josephus Antiq. Jud. L. I. c. 5. Chron. Alexandrinum vulgavit Matth. Raderus S. I. fol. 56. seq. Torniellus A. M. 1931.

dae se dederunt, partim solo venatu, piscatu, agrestibusque fructibus et herbis misere, et ab incertis casibus quotidie pendentes vitam tolerarunt; qui pro domibus suis, cavernas montium et tentoria habebant. Quo in statu mirum non est, populos quosdam in eam barbariem et ruditatem fuisse lapsos, ut ne ignis quidem usum nossent; eo minus artes aliquas noverint, donec vel propria industria, vel casu invenirent, aut a cultioribus populis discerent.

§. 2. *Status Religionis, et diversitas hominum, post diluvium Noe* ex arca eggressus, mox veram religionem a patribus acceptam exercere et propagare volens, servatori Deo juge sacrificium obtulit, *a*) qua occasione Deus generi humano altera vice benedixit; foedusque cum tota *Noemi* posteritate renovavit, fidem dans: nunquam diluvii aquis genus humanum perdendum. Praeterea potestatem carne animalium vescendi, ac legem de homicidio vitando accepit. *b*) Postea primus vitem plantans, mox viribus vini nondum notis prostratus, quum se in somno a *Chamo* filio indigne illusum, a duobus vero aliis filiis verecunde contectum didicisset, *c*) his bene precatus; in *Chamum* vero Chananeae gentis parentem, grave maledictum cum vaticino servitutis conjecit; Deus autem corruptam nimia superbia in genere humano moralitatem, generali

---

a) Gen. c. IX. v. 20. *b*) ibid. v. 3. et 6. *c*) ibid. v. 21—27.

rali confusione lingvarum punivit *a*) De religione *Semi*, penes cujus posteros continuatum est Dei foedus, Catalogum nobis exhibet Scriptura Sacra. Aput alios autem *Chami* et *Japheti* posteros, etsi auctores jam multa obscura dicant, tamen apud omnes fere gentes ab ipsis alioquin descendentes, et viguit semper, et nunc viget, de uno Summo Deo rerum onium conditore opinio. *b*) sed humana dementia multos ei minores Deos ex rebus creatis adjecit, et derelicto veri Dei cultu, illos tantum quos ipse sibi finxit, colere et venerari coepit. Jam ante *Abrahami* tempora, mortuos *c*) velut Deos adorarunt, victimisque culuervnt vel propter amorem, quo erga tales ferebantur; vel propter potentiam, quam in vivis metuebant, vel propter dotes singulares, quas in illis admirabantur; et talis modus exercendi religionem, vocatur Idololatria. Aliis sol, *d*) luna, sydereumque coelum; aliis terra, aqua, ignis pro Diis fuere. Alii plane animalia, uti: sues, canes *e*) catulos inter Deos retulerunt: et quidem ex his causis: 1. quia credebant bellum inter Deos fuisse enatum, qua occasione ex coelis omnes demto *Jove* deturbati,

---

a) Gen. c. XI. v. 7. Rich. Simson. in Hist. Crit. V. Test. pro mera dissensione habet. — Vitringa S. observat. L. l. c. 1. *b*) Cicero L. 1. quaest. Tuscul. p. 171. et L. II. de nat. Deor. p. 198. Aelian. Hist. var. L. II. c. 31. *c*) Eusebius. Chron. Graec. p. 13. Serug natus a. M. 1818. vixit usque 2049. coluit mortuos. *d*) Macrobius. L. I. c. 23. *e*) Pausan. in Lacon. c. 14.

diversa animalia intrarunt; et quam homines ignorarent quaenam in specie animalia intraverint, promiscue omnia animalia colere coeperunt. 2. Animalia bona, sibique utilia coluerunt ideo; ut deinceps etiam suam utilitatem hominibus denegare nolint. Mala vero sibique noxia animalia colebant ideo: ne deinceps etiam hominibus nocere velint, uti serpentes, et crocodillos. 3. Gentes occasione bellorum vexillis suis varia animalia apponere consveverunt; sub cujus autem animalis vexillo victoriam reportabant illud animal colere coeperunt; unde saepe evenit, ut una natio ad semel plura animalia sibi in vicem inimica, uti murem, et Cattum coleret, quo ex facto saepe cruentissima bella enascebantur. Simulacra Deorum primi fuisse videntur Chaldaei, a quibus mos idola formandi ad Chananaeos, Aegyptios, a quibus ad Graecos, *a*) ceterasque orbis nationes sensim transivit. Eosdem polytheismi sectatores nimia cupiditas res novas occultas et futuras noscendi, ad plura divinationum genera induxit, uti ad oracula, somnia, *b*) ex situ astrorum, portentis, fulgure et tonitru, avium cantu, volatu, intestinis pecudum, mortuorum evocatione, aliisque signis curiosissime eas scrutabantur, licet innumeris experimentis docerentur, totam hanc cognitionem esse veram superstitionem. *c*)

Di-

---

a) Epiphan. L. I. c. 7. *b*) Cic. L. l. de divin. Clemens Alex. Strom. L. l. p. 306. *c*) Plutarch. L. de superstione. Cic. L. II. de nat. Deor. p. 210.

Diversitas hominum. Sicut religione, ita etiam moribus, Legibus, consvetudinibus, structura corporis, ac colore, homines a se invicem olim et hodie multum differunt. Diversitas haec alia est Physica, alia Moralis. *Physica diversitas* consistit in constitutione corporis, uti nigrita multum differt ab albo. Indi habent longas aures, nigros dentes; nigritae vero albos dentes. In Formosa insula mulieres sunt barbatae; in America vero imberbes viri existunt. *Moralis diversitas* in cogitandi agendique ratione consistit. Tantae diversitatis incauta consideratio, multos in tam graves deduxit errores, ut vel immortalitatem animae, vel plane divinam providentiam aperte negarent; ubi tamen tota haec diversitas potissimum a Climate, alimentis, moribus et consvetudinibus ortum ducit. Ex his inferimus quod aliae gentes jam sint cultae, aliae tendant ad culturam, aliae ad barbariem delabantur, aliae hodie etiam in sua barbarie haereant. Barbarae gentes illae dicuntur, quae absque industria vivunt, et cruda lingva utuntur, *a*) uti sunt Cares, *b*) et qui humana carne, aut radicibus vel glandibus vitam sustentant, ut olim Chaones *c*) erant in Graecia. In minori barbarie sunt illi qui venatu et piscatu vivunt, et in Cavernis habitant, ut olim Germani et Scythae. In minima barbarie

---

a) Strabo. L. 14. p. 372. *b*) Herodot. L. I. c. 171. et 172. Athenaeus L. 15. p. 676. Diodorus. in f. l. 5. *c*) Thucyd. L. 2. 144.

rie sunt illi, qui ex pecorum pastione ex uno loco in alium transeunt, sub tentoriis vivunt, et alias hi *Nomades* vocantur, ut olim Haebraei, hodie Arabes, et Tartari. E contra Gentes tendere possunt ad culturam 1. per agriculturam, haec enim homines certis domiciliis affigit, unde oriuntur pagi, oppida, quae dein jura, leges, et officia supponunt. 2. magis sunt cultae illae gentes, quae mercatum cum artibus exercent. 3. in maxima cultura sunt illae gentes, quae non modo internum et externum mercatum, sed et scientias sublimiores tractant.

§. 3 .*Status Politicus. Forma regiminis.* Integram terrae faciem mutasse creditur aestus supernatantium aquarum, unde secuta est brevitas vitae humanae una cum morbis, aliisque quibus adhuc vexamur; mutationem hanc monstrant spolia maris, quae in apicibus montium, et rupium visceribus deprehenduntur. Genus humanum a *Noemo* descendens usque confusionem lingvarum, unum statum politicum, seu societatem civilem effecit, postea vero populus originarius, in varios populos divisus, passim a progenitorum nominibus appellationem acceperunt, vixeruntque initio in statu Patriarchali, qui Patriarchae erant sequentes: *Noe Arphachsad*, *Heber*, *Peleg*, *Regu*, *Serug*, *Nachor*, *Thara*, qui fuit pater *Abrahami*. *a*) Itaque a *Noemi* filiis gentes toto orbe terrarum sunt propa-

a) Gen. 11. v. 10. seqq.

pagatae; signanter *Japhetus* produxit *a*) Galatas, aut Celtas, Scythas, Medos, Graecos, Iberos, Cappadoces, Thraces, Cilices, Paphlagonas, Cyprios, Rhodios, A *Chamo* orti sunt Aethiopes, Aegyptii, Libyes, Getulae, Palaestini, Phaenices. A *Semo* Elymaei, Assyrii, Chaldaei, Lydi, Syri, Arabes, Armeni, Cares, Indi. Ex his alii dicuntur *populi primarii* seu maxime memorabiles, quales erant Chaldaei, Aegyptii, Phoenices, Hebraei, Persae, Graeci, et Romani. Alii dicuntur *populi secundarii*, seu minus celebres, uti Syri, Edomitae, in Asia. Aethiopes, Kymmerii, Scythae, Thraces, Hetrusci, Keltae. etc. Quae gentes statu etiam politico multum a se invicem differunt; omnes enim in certam societatem securitatis et commoditatis vitae gratia coalueruut sensim ita: ut sub una potestate vivant. Jam ille modus, quo potestas illa exercetur, *Forma regiminis* dicitur; apud primos homines potestas illa per patres exercebatur; successive autem gentes varias formas regiminis adoptarunt, prout securitatem suam amplius promoveri posse crediderunt. Sunt autem tales *Formae* quadruplicis generis, nempe: I. *Monarchica*, ubi summa potestas per unum exercetur, et regiminis rationes nemini reddere tenetur. II. *Aristocratica* ubi summa potestas penes plures homines exercêtur. III. *Democratica* ubi potestas summa

---

a) Joan. Cluverus. Epit. Hist. L. II. p. 5. Joseph. L. I. Antiq. c. 7. Herodot. L. 2. Plato de leg. L. 3.

ma per omnes exercetur. IV. *Monarchica temperata* ubi imperans in exercitio summae potestatis, certis legibus est circumscriptus. Omnes aliae Formae regiminis ex his sunt compositae, quae *vitiose* appellantur; talis est: I. *Despotismus* ubi nullae leges publicae existunt, sed Imperans pro lubitu potestatem exercet. II. *Tyranismus*, ubi Imperans summa potestate sibi concessa, pro suis cupiditatibus cum vexatione et oppressione suorum subditorum abutitur. III *Oligarchia* ubi potentiores quidem potestatem exercent in propriam utilitatem, non vero in reipublicae felicitatem. IV. *Anarchia* ubi nec Imperans est, nec legum auctoritas quidquam valet.

§. 4. Inter Patriarchas post diluvianos, *Sem* praecipuum locum tenet, cujus memoria celebratur eo: quod posteri eius in veteri Dei cultu permanserint, et ex stirpe ejus nasceretur *Messias*. — *Peleg* filius *Heberi* celebris eo: quod in ejus nativitatem inciderit confusio Babylonica, et rebellio *Nimrodi*, qui reliquos mortales venatoris instar agere, *a*) rapere, persequi, suamque in potestatem trahere, primusque urbes condere, reparare, et munire ad securitatem suam coepit; ceterum superbis mortalium conatibus divina manus obstitit, dispergendo per orbem universum genus humanum.

§. 5. *Artes et Scientiae.* Babylonici operis artefacta, ut coctis lateribus, collectoque bitu-

a) Gen. 10. v. 11. Sulpit. Severus. L. 1. Zonar. T. 1.

mine, urbem, summaeque altitudinis turrim excitarent, fortitudinis et prudentiae monumentum, et si qua denuo esset futura inundationis perfugium, satis ostendunt jam artes et scientias eo tum floruisse. *a*)

Caput III.

HISTORIA HEBRAEORUM.

Ab origine Gentis, usque ad nostram aetatem facta exponemus quinque Paragraphis. I. Geographico statisticam notionem regionis. II. Statum Religionis. III. Statum Politicum in Epochas divisum. IV. Statum Belli, et Principum Virorum. V. Statum Literarum et Artium.

§. 1. *Geographico Statistica notio.* Hebraeorum populus orbis primarius non tantum in Sacra, sed et profana Historia potens; qui in rerum olim fastigio, sex et amplius capitum milliones censebat, praeterea gens exculta longe alias praecellens, cujus et legum et morum dictatura ab seculorum millibus nobilis exstitit. Historiae Universali se infert ab *Abrahamo*, qui ex *Ur* oppido Chaldaeorum Mesopotamiae loco jussu Dei exire compulsus in terram *Chanaan*, seu *Terram Promissionis*, in quam antequam adve-

---

a) Joseph. L. I. antiq. c. 6.

venisset, cum tota cognatione Carris moratus, *a*) inde ob famem Aegyptum ingressus, unde paulopost uxore sua *Saara* ab impudicitia Pharaonis divinitus servata, denuo *Chananaeam* repetiit *b*) Regio haec a Christianis *Terra Sancta*, ab aliis *Palaestina* ab incolis Palaestinis, qui in S. scriptura Philistim vocantur, olim nominabatur, ast pulsis inde antiquis incolis, et substitutis Israelitis, deinceps *Regnum Israelis*, et *Judae* appellari coepit. Fines habet ab oriente Arabiam, a meridie Eegyptum, ab occidente mare Mediterraneum, a Septemtrione Libanum montem. Longitudo a Civitate *Dan*, ad radicem Libani seu *Bearsebach* civitatem 67. milliaria conficit; Latitudo vero a mari magno ad Jordanem 17. milliaria. Regio haec ob aeris salubritatem et coeli temperiem, inter omnes quae sub coelo sunt regiones maxime commendatur; imprimis ob terrae ubertatem, frugum abundantiam, aliarumque rerum copiam, quae ad hominum vitam sunt necessariae adeo: *c*) ut fertilitate omnes alias terras superet, ac Paradisi Dei sit adsimilis. Terra Chanaan dum ab Hebraeis occupata fuit, praeter Sydonios et Palaestinos numerabat XXXI. Reges. Hebraei usque *Mosen* Patriarchis suberant, a *Mose* vero duci-

 bus,

a) Gen. 12. v. 1. seqq. Act. 7. v. 1. *b*) Gen. 2. v. 14. seqq. Joseph. L. I. antiq. c. 8. Abrah. Ortelius Addit. 4. Theatri orbis Terrae, ubi vita et peregrinatio Abrahami decsribĭtur. *c*) Moses. Deutero. 8. v. 7. seqq. Joseph. L. I. antiq. c. 8.

bus, *a*) quorum successio non erat ex certa stirpe, sed quasi in Aristocratia seniores tribuum eligebantur pro Judicibus. Quae forma Gubernationis populo ita flagitante mutata est a Deo in Regalem. *b*) Successu temen temporis Israelitae varias calamitates passi, tandem regno exuti, variisque bellorum tempestatibus agitati, ob vecordiam, in se divinam iram provocarunt; ac saepe victi, aut in servitutem exportati, jugum vicinorum vel etiam remotissimorum populorum *c*) uti Aegyptiorum, Chaldaeorum, Medorum, Persarum, Macedonum, ac Romanorum experiri cogebantur: quibus tamen calamitatibus haud cessarunt seditiosis suis consiliis, se, suamque gentem penitus pessumdare, donec ipsum *Filium Dei* toties appromissum *Messiam* scelestissimis suis manibus crucifixerunt; unde novam maledictionem promeriti, per *Titum Vespasianum* Hierosolymis captis, multis centenis millibus Judaeorum occisis, Judaea devicta, gens tota per orbem dissipata est. Urbem quidem *Ae-*
lius

---

a) Josue. c. 11. Nic. Selneccer. Dialogi de Jacobo Patriarcha. Vinc. Schmuki. Hist. Jacobi. Joh. Wolfius. Hist. Judicum. *b*) Joh. Bap. Sinnichius. de Saule Gentis Israel Proto Monarcha. Joseph. Flav. antiq. L. 7. cap. ultimo. L. 13. c. 16. et L. 16. c. 11. Dion. Cassius in Hadriano. L. 69. *c*) II. Reg. 17. Joseph. antiq. L. 9. c. 13. seq. Jac. Salianus ad a. M. 3314. et 15. Esdr. c. 1. Joseph. L. 11. c. 1. antiq. Paulus Eber Hist. Judaicae gentis post captivitatem Babylonicam.

lius Adrianus Imperator in vicinitate restituit, antiquum tamen *Salomonis* templum dirutum mansit usque ad an. Ch. 363. quo *Julianus Apostata* in vexam Chistianorum, potestatem Judaeis concessisset illam restaurandi; qui tamen miraculose *a*) deterriti, a coepto opere destiterunt. Postea *Chosroes* Persarum rex a. Ch. 615. *b*) urbem maxima caede Judaeorum cepit; qui ab *Heraclio* Imp. profligatus et occisus est. Non multopost a. 636. Saracenorum princeps *Haumar* totam Judaeam sibi subjiciens, 450 annis in potestate Saracenorum mansit. Sub *Urbano II.* Pont. a. 1097. in Concilio Claromontano decreta est Cruciata expeditio *c*) pro terra Sancta recuperanda, qua vice *Godofredus Bullioneus* saracenos inde ejiciens, Rex Hierosolymorum est creatus, ejus successores inter varias mutationes tenuerunt, et a. 1217. iterum Saraceni recuperarunt; a quibus demum a. 1517. in Turcorum potestatem devenit, qui etiam hodie possident. Totum regnum Judaeorum seu Palaestina *d*) quatuor numeravit provincias, uti; *Idumaeam*, *Judaeam*, *Samariam*, et *Galilaeam*. In Idumaea hae sunt civitates, *Maresa*, *Anthedon*, *Asca-*

---

a) Socrates. L.3. c.17. Sozom. L. 5. Ammian. Marcellinus L. 23. c. 1. *b*) Procopius L. II. de bello Persico. Agathias. L. 3. 4. Evagrius L. 4. c. 24. Nicephorus. L. 17. c. 14. seqq. *c*) Sabellicus. Aenead. 9. L. 3. Collat. 681. Baronius. ad. a. 1095. Wilhelm. Tyr. L. 8. *d*) Gerard. Mercator. Atlas Minor. p. 596. seqq.

Ascalon, *Asotus*, *Raphia*, et *Gaza*. — In *Judaea*, cui tribus Judae nomen indidit, plures erant Civitates, quarum praecipua et metropolis erat *Hierusalem*, olim *Aelia Capitolia* dicta, hodie a barbaris *Chutz* vocatur. Alia loca celebria sunt: *Jericho*, *Jaffa*, *Caesarea*, *Betlehem*, *Hebron*, *et Mambre*, trans Jordanem *Macherus*, ubi erat *Sodoma*; hodie lacus Asphaltitis. — Samariam *Amri* Rex Israel condidit, hodie *Sebaste* dicitur, in qua civitates sunt: *Sichem*, *Neapolis*, *Capharnaum*, *Bethsaida*, *Chorazim*. — Galilaea superior et inferior, illa Tyro vicina, haec ad Genezareth mare jacet; civitates habet *Naim*, *Cana*, *Nazareth*, *Gadara*, plures lacus plane navigabiles habet, et praecipuum fluvium *Jordanis*. Montes vero sunt: *Hermon*, *Thabor*, *Gelboe*, *Gerizam*, *Mispa*, *Bethel*, *Sarona*, *Carmel*, *Sion*, *Moriah*, *Olivarum*, *Calvariae* etc.

§. 2. *Status Religionis*. Etsi posteritas *Semi* in cultu veri Dei diu perstiterit, circa tempora tamen *Abrahami*, plerisque jam hominibus ad falsorum Numinum cultum deflectentibus, vera Dei notitia sensim obliterari coepit. Nam *Tharam* patrem *Abrahami* alienis Diis servivisse Scriptura S. testatur, quare singularis Dei providentia, ex *Heberi* stirpe; penes quam usus linguae Hebraicae constitit, *Abrahamum* ex universa natione elegit a. M. 2079. quum esset 75. annorum, ut esset gentium pater, *a*) et apud im-

a) Gen. 12. v. 1. seqq.

impios *Chami* posteros cognitionem Dei resuscitaret, et Messiae adventum clarius distinctiusque praenunciaret; quare diserte ei promisit Deus, ut ex ejus semine, ipsiusque lumbis proveniret suo tempore omnibus populis Salus. Quo oraculo fretus *Abraham* in Palaestinam proficiscitur, ac prope Sichem novo Dei colloquio firmatur de totius Palaestinae possessione suis posteris donanda; qua vice acceptam de Circumcisione legem, suis populis volente Divina virtute manifestavit, collapsumque Numinis cultum instauravit; ac proin Paternus, Sanctus, et Sacerdotalis ordo Melchisedeci institutus fuit, cujus vestigia secutus est *Isaacus*, et hujus filius *Jacob* ab Angelo *Israelis* titulo honoratus, unde ejus posteri deinceps Israelitae sunt vocati. *Josephus Jacobi* filius Dei cultum in Aegypto amplius propagavit, imprimis vero *Moses*, qui in monte Sinai a Deo dictatam legem Israelitis promulgavit, et coepit lex Dei scripta esse, qua Sacra et profana populi jura constituta sunt; *a*) uti: Solus Israelis Deus pro Deo habendus. Nomine ejus sancte utendum. Feriae ipsi solemnes agendae. Parentes honorandi. Vitae proximi cujusque parcendum. Honestas corporis libidinibus non incestanda. Nemini opes ac facultates corrumpendae. Nemo mendacio laedendus. Possessiones alterius non appetendae. Denique nec minima cupiditate aut cogitatione violendus. Ex his itaque *Moses* summus Israelitarum Legislator dicitur: qui

---

a) Exodi. c. 19 et 20. v. 2. seqq. Josep. L. 3. c. 1. Sulp. Sever. L. 1.

dum in monte apud Deum jejunus 40. dies duceret, Hebraei ducem suum flammis consumtum suspicati, mox per *Aronem* fratrem *Mosis*, et maximum Pontificem, vituli signum conflatilis erexerunt, Deum sibi hoc pacto propitiare cogitantes. *Moses* interim rediens, quoniam populum luxui et sacrilegio deditum vidisset, duas tabulas lapideas manu Dei scriptas confregit, indignam esse gentem testatus, cui Lex Domini traderetur; ideo *Moses* Deum oxoravit ne improbum populum deleret, *a*) sic veniam impetrando, refectis tabulis, Dei tabernaculum struxerunt. Leges promulgatae eo pertinebant, ut in unius Dei cultu amplius confirmarentur; ac multitudine cerimoniarum, diversisque institutis ab omnibus aliis gentibus distinguerentur. Munus maximi Sacerdotis, seu *Pontificis Aron* frater *Mosis* obtinuit, qui summam potestatem in rebus sacris et civilibus habuit, totaque eius progenies sacerdotalis facta est: ministeria vero circa sacerdotes et tabernaculum, in quo *Arca Foederis* cum *Decalogo* reposita erat, familiae ex tribu *Levi* obire debebant. Praeterea praescripta erant Sacrificia et horum ritus, *b*) uti Sabbato ab omni labore servili abstinere; praeter Pascha, quosdam dies festos, ut Pentecostes, Tabernaculorum, etc. singulis annis celebrare totus populus jubebatur. Locus religionis publicus

---

a) Exod. c. 30. 31. 32. 33. 34. Joseph. antiq. Jud. L. 3. c. 6. 7. 8. *b*) Exodi. c. 34 — 40.

cus ille erat designatus, in quo sub tabernaculo Arca foederis deposita esset, usque ad tempora Salomonis, qui Deo splendidissimum Templum Hierosolymis condidit, ac in ejus penetrali Arcam reposuit. Doctores Religionis *Prophetae* vocabantur. Sed exstinctis Senioribus, populus a vero Dei cultu ad idola deflectens, mox a Deo destitutus, in *Chusami* Mesopotamiae Regis in octo annorum servitutem pervenit; quo tempore resipiscentibus vindex datus est *Athniel*, qui oppresso *Chusamo* populum liberum asseruit; quo mortuo iterum ad impietatem relapsi, graves saepe ingratitudinis poenas acceperunt. Quae omnia docent cultum Divinum variasse prout res ipsis bene vel male succedebant. *a*) Sub primis tribus Regibus more antiquo celebrabatur cultus divinus, sed post mortem *Salomonis*, regnum inter duos reges *Roboamum* et *Jeroboamum* erat divisum, sed neutri vera pietas in Deum constitit; citius tamen Israelitae defecerunt, quorum rex *Jeroboam* metuens, ne si Hierosolymam ad solemnia sacrificia sui commearent, sensim separationis illius a Domo *Davidica* eos poenitentia subiret; ideo in *Bethel* et *Dan* urbibus templa ponendo, aureas vitulorum effigies adorare constituit, et sacrificulos de plebe praefecit; cujus institutis mordicitus adhaeserunt omnes ejus successores. *b*) Simili superstitione corru-

---

a) 2. Reg. 17. v. 6. — 2. Reg. 24. et 25. cap. *b*) 1. Reg. 11. v. 14 — 40. item c. 13. v. 35. — 2. Chron. c. 12. v. 13 — 17. et c. 13. v. 9.

ruptus est etiam *Roboam*, postquam tribus annis, piis *Davidis* et *Salomonis* vestigiis institisset; in regno confirmatus, *a*) mox a Deo deflectens, cultum et mores adeo corrupit, ut positis excelsis fanis, Judaei quoque secundum superstitiones gentilium sacrificarent; quare iratus Deus, post alios reges *b*) immisit *Nabugodonosorem*, qui Judaeos in captivitatem Babylonicam abduceret, et templum everteret; quod post captivitatem Babylonicam, ex indultu *Cyri* M. Persarum regis *c*) restauratum est. Postea plures Synagogas per Judaeam erexerunt pro conservando cultu divino, quibus tamen evitari Haereses non poterant; cum enim consvetudine et literis Graecorum imbuti, varios Philosophorum libros legerent, liberiorem sentiendi agendique rationem imbibentes, variis sectis occasionem dederunt: *d*) quales erant Pharisaeorum, Sadduccaeorum, et Essenorum. *Pharisaei* praeter legem etiam traditiones et doctrinam de fato ficta pietate adoptarunt. *Sadducaei* numero quidem inferiores, sed regum et principum favore fulti, Pharisaeos vexabant: et eorum superstitiones, uti et traditiones rejiciebant, quo facto elegantioris ingenii homines in suam sectam attra-

---

a) 2. Chron. c. 11. v. 17. et c. 12. v. 1. item 1. Reg. 14. v. 22. 23. 24. *b*) 2. Reg. 24. Joseph. antiq. L. 10. c. 10. 11. Jerem. 44. v. 30. seq. Herod. L. 2. *c*) Esdrae 1. c. 1. 2. 3. Joseph. antiq. L. 11. c. 1. et 2. *d*) Drus. de tribus sectis Judaeorum. L. 11. c. 13. p. 219. Joseph. antiq. L. 13. c. 3. §. 1.

attraxerunt; et negabant animae immortalitatem ac resurectionem. *Esseni* erant simplices homines; caelibes, voluptatuum contemtores, omnem sanctitatem in severa et comtemplativa vita reponebant. Sectam *Scribarum a*) eandem existimant fuisse cum *Caraitis*, qui rejectis Pharisaeorum traditionibus et fabulis, solius scripturae lumen sequebantur. His omnibus pejores erant 1. *Samaritani*, quorum religionis origo est haec: cum *Salmanassar* decem tribus Israeliticas in Mediam, et Babyloniam relegasset, in vacuas illarum sedes, novos colonos variis e gentibus mixtos misit; *b*) ad quos Assyriorum rex, unum e captivis Hebraeorum sacerdotibus expedivit, a quo Habraeorum religionem edocti, hanc cum profanis patriae suae superstitionibus corruperunt, ac demum opera transfugae Judaei nomine *Manassis* templum in monte Garizim exstruxerunt. II. *Herodiani*, quorum frequens est mentio in Novo Testamento, qui tempori se accomodantes, ne nimio religionis zelo Romanos in se concitarent, religionem *Herodis* M. secuti sunt; quare hi tamquam pagani, aliis Judaeis invisi erant; et revera horum discordiis misere vexata fuit Ecclesia Judaica. Ipse enim *Herodes* Romanorum Imperatorum summus adulator, religionem Judaicam saepe ludibrio habuit, Pontificesque pro lubito constituit, aut deposuit, *c*) Nec potest praetermitti origo *Hellenistarum* qui vo-

---

a) Matth. c. 23. *b*) Joseph. antiq. Jud. L. 11. c. 8. §. 2. *c*) idem L. 1. de bell. Jud. c. 13.

vocabantur illi Judaei, qui per Graeciam erant dispersi; quive in suis Synagogis legere consueverunt versionem Graecam; de cetero autem ab aliis Judaeis nihil discedebant; invisi tamen ab Judaeis esse coeperunt ab eo tempore, quo a. M. 3852. *Onias*, Pontificis *Oniae* filius, indultu *Ptolemaei Philometoris* Templum Heliopoli in Aegypto ad formam Hierosolymitani exstruxit. *a*) Quod *Oniae* templum vocatum, usque ad tempora *Vespasiani* duravit. Hi itaque Haeretici sunt existimati ab aliis Hebraeis Palaestinam incolentibus, ideo: quia hi credebant non nisi in solo Hierosolymitano templo Deum rite posse coli. Ceterum habebant Hellenistae suas Sinagogas etiam in Judaea, imo et Hierosolymis. Verum ex alia parte mire crevit Ecclesia Judaica accessione *Proselytorum*, quorum multi Circumcisionem cum aliis judaicis cerimoniis observarunt, et hi vocabantur *Proselyti Justitiae*, alii autem Deum Hebraeorum absque cerimoniis colebant, et hi dicebantur *Proselyti Portae*. — Judaei autem in vero Dei cultu persistentes libros Sacros opera potissimum *Esdrae* sacerdotis collegerunt, et incorruptos conservantes, in Graecum etiam sermonem per 70. Interpretes sincere verterunt. Sed successive etiam Judaei diversarum cerimoniarum studiosi, praecipuum fundamentum suae religionis de venturo *Messia* corruperunt, credentes *Messiam* potentem Regem futurum, qui

---

a) idem Antiq. Jud. L. 13. c. 3. §. 1.

cunctos populos potestati Judaeorum subjiceret; quare cum *Christus* verus *Messias* pauper advenisset, eundem crucis supplicio puniendum decreverunt, Discipulos vero persequentes, veterem religionem mordicitus etiam post ruinam templi Hierosolymitani retinuerunt. Tandem ad finem seculi II. Pharisaeorum doctrinam collegit *Rabbi Juda* in unum librum, qui *Mischnajot* dicitur; cujus commentarium nonmulto post *Rabbi Joannes* sub titulo *Gemara* scripsit; qui duo libri simul constituunt *Thalmund Hierosolymitanum minus*. Cujus interpretatio seculo V. denuo composita, vocatur *Thalmud Babylonicum majus*. Utriusque auctoritas apud Judaeos etiam nunc est maxima. His fere temporibus inventa est etiam *Caballa* seu artificiosa, et superstitiosa scripturae sacrae iterpretatio: Judaei hodie per orbem dispersi, in omnibus fere regnis tolerantur; et titulo tolerantiae ubique non contemnendam summam pecuniae Principibus, et terrarum dominis titulo protectionis solvere coguntur. Quibus tamen omnibus etiam ita existentibus, genus, Cbaracterem, et ritum, sectis utcunque impliciti, conservare sciunt.

§. 3. *Status Politicus Hebraeorum.* Hebrei originem ducunt a *Semo* ex cujus familia ortus *Heber*, deinceps ejus successores *Hebrei* vocatur, ex cujus progenie a. M. 2008. natus *Abraham*, qui Dei jussu, ne in idololatria ipse quoque perseveraret, anno aetatis 75. in Cananaeam ivit, ut esset Pater omnium gentium in Deo

a)

a) credentium; quo ex tempore influxum coeperunt Hebraei habere in alias gentes, solique unam gentem Hebraeam (ut nonnullis placet a transitu per Jordanem) constituerunt, et ab isto tempore usque *Mosen*, I. Epocham nos statuimus nempe *Patriarchalem*. *Abraham* enim accepta circumcisionis lege, cunctos suos in vero Dei cultu feliciter gubernavit; *a*) ac centesimum annum agens ex uxore *Sara* nonagenaria, a. M. 2109. successorem suscepit *Isaac*, quem pro sua obedientia Angeli jussu paratus erat suo Deo immolare, divinitus tamen oblatus est aries, qui filii loco mactaretur. Unde multis populis *b*) execrandarum hostiarum occasio et origo nata est. *Isaac* ex *Rebecca* gemellos *Esavum* agrestem, et *Jacobum* mansvetum a. M. 2169. genuit, *d*) et consentiente *Esau* Patriarchalis dignitas *e*) ad *Jacobum* devenit; qui ab Angelo *Israelis* titulum accepit, a quo tempore omnes ejus descendentes, Israelitae passim nuncupantur; qui etiam a pluribus uxoribus, duodecim suscepit filios uti: *Ruben*, *Simeon*, *Levi Juda*, *Isaschar*, *Zebulon*, *Dan*, *Naphthali*, *Gad*, *Assur*, *Joseph*, *Beniamin*, qui totidem tribuum Israeliticarum conditores fuerunt; tandem *Jacob* una cum filiis totaque familia, fame compellente in Aegyptum transivit,

---

a) Genes. 12. v. 1. Actor c. 7. v. 1—5. *b*) Gen. c. 17. *c*) Levit. c. 18. v. 21. Gen. 23. Diod. Sicul. L. 20. *d*) Gen. c. 25. v. 24. seqq. *e*) Gen. 25. v. 23—26.

vit ad *Josephum* filium summam rerum jam tunc in Aegypto tenentem; quem fratres per invidiam vendentes, fato quo Pharaonis Praefectus *Potiphar* emit, apud quem dum adolevisset, frustra ab ejus conjuge in malum solicitatus, demum falsa ejus delatione; immeritas innocentiae et fidei, triennali carcere poenas luit. Unde ad interpretandum Regis somnium eductus, quum imminentem septem annorum sterilitatem ac totidem fertiles annos praedixisset, simulque Regem de famis periculo avertendo edocuisset; in signum verae gratitudinis toti Aegypto praefectus est, ad quem *Jscobus* cum tota familia veniens, a. aetatis suae 147. obiit, postquam *Josephi* duos filios *Efraim*, et *Manassem* adoptasset. Postea *Josephus* in magna gloria et dignitate a. M. 2369. aetatis suae 110. mortuus, gens Israelitica primo benigne habita, mox in miseram servorum sortem redacta, *a*) ac tandem totius gentis suppressione, paternum imperium finitum est. Quoniam enim Israelitae de die majora cepissent incrementa, quidam *Pharao* invidia vel metu, ad incrementa gentis subprimenda initio durissimos eis labores injungens, demum masculos omnes qui nascerentur necari jussit. *b*) Quo difficillimo Israelitarum tempore, ex *Amramo*, *Levi* pronepote natus est *Moses*, qui in alga ad ripam Nili a matre infans expositus,

---

a) Aegid. Strauch. Breviar. Chron. L. 4. c. 6. et 9. Nicol. Abraham in Pharo. V. Test. L. 9. *b*) Exod. c. 1. v. 6. seqq.

situs, a *Pharaonis* vero filia inde extractus, dein educatus ac Literis Aegyptiorum rite excultus, dum adolevisset, se Hebraeum esse palam professus est, et annos natus 40. quum Hebraeum ab Aegyptio inclementius verberari conspexisset, ipse Aegyptium obtruncavit; unde imminens sibi vitae periculum ad Madianitas fugiendo evitavit, ibique ducta *Jethronis* Sacerdotis filia *Ziphora*, *a*) duos filios genuit, et gregem pavit. Ast octvagenarius ex flagranti rubo ad montem *Oreb* divinis oraculis admonitus in Aegyptum redivit, ut adjutore *Arone* fratre, Israelitarum gentem gravi Aegyptiorum jugo pressam, in libertatem assereret. *b*) Hic incipit *Epocha* II. Israelitarum ut *Democratica* Respublica, a *Mose* usque ad *Saulem* Regem.

Moses Reip. Democraticae conditor, a *Platone* νομοϑετης, ab *Eupolemo* πρωτος σοφος a *Numenio* vero σοφωτατος dictus, idem Legislator, Expugnator, Historicus ac Vates; omnes Graecorum Deos vetustate antecellens; omnem populum Hebraicum divino prodigio, *c*) per maris rubri fundum exsiccatum, hostibus qui ejus vestigia sequebantur misere pereuntibus *d*) traduxit, ac paulo post supra sinum, per solitudinem flexo itinere, 40. annorum spatio per Arabiae deserta, gens mire circumducta, deinceps per le-

a) Exod. c. 2. v. 11—22. *b*) Ibid. c. 3. 4. 7. seqq. *c*) Petr. Waltherus. in offic. Bibl. de Script. in specie. §. 725. *d*) Justinus. L. 36. c. 2.

legem divinitus a Deo concessam, feliciter gubernabatur; *a*) demum post mortem *Mosis* a *Josua* in promissam terram, seu Palaestinam inducta est; *b*) ibique per annos 380. per Seniores et Judices varia fortuna gubernata fuit. *c*) *Seniores* 70. viri fuerunt prudentia et aetate graves, in societatem consiliorum cum *Mose* ab ipso Deo adsciti, ideoque spiritu prophetico donati, qui populo Israelitico post mortem *Mosis* et *Josuae* usque ad Judicum tempora praefuerunt. *Judices* autem erant Magistratus exdraordinarii, quorum officium erat bella contra hostes Dei gerere, jura dicere, et curam cultus divini habere. Ac tandem a. M. 2875. post satis felicem reip. per *Samuelem* Judicem gubernationem, *d*) Israelitae more aliarum gentium, sibi a Deo Regem dari poscentes, *Saulem* acceperunt. *e*) Et hic incipit Israelitarum Epocha III. seu *Monarchicum* regnum, a *Saule* Rege, usque ultimum Judae regem *Sedeciam.* 450. annis.

Monarchicum Regnum primus *Saulus* obtinuit, Deique monito sacro ungvento perfusus, regium spiritum induendo, initio egregie regnavit, ast paulatim mutatis moribus, quum etiam

E Sacra-

a) Joseph. Antiq. Jud. L. 2. c. 9. seq. Joh. Gabr. Drechsler Descriptio Mosis. Vossius. de orig. Idololat. L. 1. c. 30. *b*) Georg. Hornius. in Geogr. antiq. Johan. Volfius Hist. Josue. de occupat. et divisione terrae. S. *c*) Joh. Wolfius. Hist. Judicum. *d*) I. Reg. c. 8. v. 18—22. Joseph. antiq. L. 6. c. 2. 3. 4. *e*) 1. Reg. c. 9. et 10.

Sacra irreligiose tractasset, a Deo rejici, regnoque excludi meruit, ideo post 15. annos regni successor datus est ei *David*, *a*) qui pietate in Deum, justitia in subditos, moderatione in hostes, cunctos reges antecelluit, ideo dignus a Deo judicatus, cujus posteris aeternum sponderet imperium, prout res Hebraeas etiam moderati sunt, donec ex eis Christus Salvator noster effloruisset. *Davidis* filius et successor *Salomon* *b*) quoslibet mortalium sapientia superavit, quem post 40. imperii annos, A. M. 2969. ingens reipublicae Judaicae mutatio excipiebat, quoniam pars regni, uti Judaica cum Beniaminitis *Roboamum* ex *Davidis* progenie, pars autem reliqua *Jeroboamum* ex aliis familiis regem sibi elegit. — *c*) Scisso ita regno, simul duae sunt constitutae Regiae Sedes, Una *Hierosolymis*, altera *Samariae*, postquam in hanc civitatem a rege *Amri* Samariae urbis conditore *d*) translata fuisset regni sedes, quae prius in urbe *Sichem* erat. Quod autem formam regiminis attinet, totus quidem populus regibus suberat, prout *Samuel* Jus regium describens *e*) satis ostendit, adversus regis injurias

rias

a) Joseph. Antiq. L. 7. c. ult. et L. 13. c. 16. et L. 16. c. 11. Dion. Cassius. in Hadrianum L. 69. *b*) Joan. de Pineda. L. 8. de rebus Salomonis. Joan. Bapt. Villalpandi de templo Hierosolym. *c*) Petr. Cunaeus de republ. Hebraeor. L. 1. c. 15. Joseph. antiq. Jud. L. 8. c. 6. 1. Reg. c. 15. v. 16. *d*) 3. Reg. c. 16. v. 24. Joseph. antiq. L. 8. c. 7. *e*) 1. Reg. c 8. v. 11. et seqq.

rias nullam in populo relictam fuisse potestatem. Attamen simul patet: speciem quamdam Theocratiae adhuc sub regibus remansisse, judicia tamen erant aliqua Regibus ademta, uti de tribu, de Pontifice, et de Prophetis: Nam quum proceres *Jeremiam* Prophetam ad mortem deposcerent, haec *Sedecias* rex dixit: *a*) *Ecce ipse in manibus vestris est, nec enim fas est regem vobis quidquam negare.* Atque sub hoc Rege Israelitae in captivitatem Babylonicam pervenerunt, et regalis dignitas apud eos desinit esse; ac proin Epocha IV. incipit, prout variis Principibus obnoxii esse coeperunt, inde ab Hierosolymarum excidio, usque ad *Herodem* seu Romanorum ditionem, seu ab a. ante Ch. 588. usque ad a. Ch. 70. *b*)

Babylonica captivitas Septvaginta annis duravit, et dum *Cyrus* M. Persarum primus Monarcha *c*) Babylonem expugnasset, Israelitae patriae suae postliminio restituti, a Principibus et Pontificibus gubernabantur. In hac epocha non erant Hebraei sui juris, sed imperio Persarum, ac mox Graecorum subjecti; attamen sub Monarchis Persicis adeo clementer sunt habiti, ut parum a libero populo differrent. Sub regibus Graecis saepe dura servitute preme-

 ba-

---

a) Jeremiae. c. 38. v. 5. *b*) Joseph. de bell. Jud. L. 5. c. 2. §. 1—3. et c. 3. §. 1. 2. Tacitus Hist. L. 5. c. 10. *c*) Isaiae c. 44. v. 28. et c. 45. v. 1. Joseph. antiq. L. 11. c. 1.

bantur, *a*) praesertim imperante *Ptolomaeo Lagi*, qui 100,000. Judaeos in servitutem abduxit. Demum suberant Principibus *Machabaeis*, cujus gentis Author erat *Matathias* cognomine *Asmonaeus*, Sacerdos Modini, libertatis Judaicae primus vindex; dicuntur *Machabaei* ideo: quia in vexillis literas initiales solebant habere ex illo Hebraico textu. *Quis sicut Tu inter Deos Jehova!* vel quod idem *Matathias* in orationibus frequenter usurparet Exodi *b*) hunc versum: *Quis similis Tui in fortibus Domine.* Sub Machabaeis accidit institutio Magni Senatus, seu *Synedrii* instituti ex viris senioribus virtute et prudentia praestantibus, quorum auctoritate, Principum ac Regum Asmonaeorum potentia intra certos limites coercebatur. Ceterum tamen constat aliquos principes ex Machabaeis satis absolute regnasse, praesertim dum Sacerdotium cum imperio conjunctum erat. Ultimus Rex erat *Antigonus*, *Aristobuli* filius, qui patruum suum *Hyrcanum*, Parthorum auxilio auribus mutilatum in Parthiam misit. *c*) Interim *Herodes* M. Galilaeae dux Romam fugiens, ibi publice Rex Judaeorum *d*) coronatus, et in Judaeam remissus est, unde difficile bellum inter duos reges gerebatur, *e*) donec anno 13. urbe

vi

---

a) Diod. Sicul. L. 20. c. 52. seqq. Justinus L. 15. c. 2. seqq. *b*) Exod. c. 15. v. 11. ex quarum quatuor vocum literis initialibus. Mem. Caph. Beth. Jod. fit nomen Macabi. Joseph. antiq. L. 12. c. 8. seq. *c*) idem. ibid. L. 14. c. 24. *d*) idem ibid. c. 24. et 26. *e*) idem. ibid. c. 27.

vi capta, *Antigonus* securi percuteretur, et cum eo etiam stirps Assamonaeorum *a*) extingveretur. Post cujus mortem Judaeis Rex constitutus *Herodes Ascalonita M.* e gente Idumaea, qui ad speciem adeo restauravit templum Hierosolymis, ut inter stupenda ejus aetatis opera haberetur; alias autem crudelissime imperabat; sub cujus regimine natus est Salvator Generis Humani *Christus*; — Ex familia *Herodis*, quintus et ultimus Rex fuit *Agrippa* II. sub quo Hierosolyma expugnata, et una cum templo funditus deleta, Regnique Judaici finis impositus fuit, a. Ch. 71. *b*) Atque in hac generali dispersione Judaeorum, incipit ultima seu V. Epocha eorum.

Extorres Judaei in omnem terrarum orbem disjecti, ab hoc tempore non semel adversus Romanos jugum excussuri rebellarunt *c*) sub *Hadriano* et aliis, sed semper irrito conatu. In Arabia quidem assecuti sunt ut terram aliquam obtineant, ubi etiam nunc terram *Cheibar* soli possident. In Asia etiam ad Sinas et Moluccas multum tenent; et circa a. Ch. 1680. etiam in Americam pervenerunt, ubi mercimonia et opificia exercere coeperunt; ceterum ubique calamitosam vitam in hodiernum usque diem ducere debent; sine Regno, Rege, Lege, Sacerdotio, et tem-

---

a) Joseph. antiq. L. 15. c. 1. *b*) idem. de bell. Jud. L. 6. 8. L. 7. c. 1. §. 1. Tacitus Hist. L. 5. c. 11. —13. *c*) Tillemont. not. 9. ad vitam Hadriani, et nota 3. ad rebellionem Judaeor. Dio. L. 69. p. 793. Eusebius Hist. Eccl. L. 4. c. 6.

templo, prout ipsis vaticinatum erat. In sola *Ukrania* seculo XVI. libertatem et jura indigenarum erant adepti; ubi etiam eruditione florere coeperunt.

§. 4. *Status Belli, et praecipuorum virorum memoria. Abraham* ab ingressu terrae promissae initio fame impeditus, in Aegyptum migravit; unde muneribus a *Pharaone* excultus rediens, *Lothum* fratris filium universae peregrinationis socium a se dimisit; quo tempore *Abraham* cum suis ad urbem Hebron sua tentoria fixit, *Lothus* vero *a*) fertilissimam Sodomorum vallem consedit; cujus incolae quinque regulis subjecti Assyriorum imperio parebant, quo tempore Assyriorum Monarcha *Ninus Junior* distributo inter Satrapas regno, suis voluptatibus serviebat; ideo duces praefecturarum reges se appellarunt, uti *Amraphel* Babyloniae, *Ariochus* Elassari seu Ponti, *Kodorlahomor* Elamitarum seu Persarum, *Thideal* Pamphyliorum reges erant; qui societate inter se inita, rebelles Sodomae regionum regulos ad obedientiam Assyriorum armis revocare statuerunt, qui etiam Arabiam, et Jordani finitima pervagati, quinque regulos devictos una cum suis, inter quos et *Lothus* recens advena erat, in captivitatem rapuerunt. Fama cladis excitatus *Abraham* agnati calamitatem non ferens, et Deo fidens, suos et alios homines conductos con-

---

a) Gen. c. 13. v. 12. Joseph antiq. L. 1. c. 10. seq.

contra hostes eduxit, ac *a*) ad Damascum exigua manu non modo magna clade profligavit et hostes fugavit, sed etiam nepotem, partamque praedam feliciter recuperavit; quare *Melchisedech* Solymorum rex et sacerdos, *Abrahamo* a felici praelio redeunti, benedictionem, panem et vinum, profert; cui vicissim *Abraham* in reverentiae signum omnes manubiarum decimas conferens, cetera hostibus restituit: quare Hebronitae eum Principem Dei agnoscebant. *b*) Amorhaei autem foedus cum eo pepigerunt. *c*) Ast *Abraham* sterilitatem conjugis moerens, ex *Agare* ancilla *Ismaelem* genuit, *d*) cujus posteri Arabiam occuparunt, et hodiedum tenent: imo ex eo descendere feroces gentes Agarenos et Saracenos constat ex *Saliano.* Postea ex *Sara* prima conjuge suscepit *Isaacum* *e*) heredem, ex secunda autem conjuge *Cetura* *f*) suscepit sex liberos, quos ut adoleverant, muneribus excultos ad plagam orientalem *g*) relegavit. Inter haec Sodoma, et Gomorha, Adama, et Seboim urbibus ob nefanda hominum scelera coelesti flamma consumtis, tota haec provincia existitentiam suam in orbe finivit, cujus locum hodie mare mortuum occupat, seu lacus *Asphaltitis.* Quinta civitas precibus *Lothi* servata est Segor, *h*) ad quam dum divino jussu proficisceretur mandatis divinis minime obsequens conjux, ne igne

a) Gen. c. 14. v. 1—24. Joseph. antiq. L. 1. c. 11. 13. *b*) Gen. c. 23. v. 6. *c*) Gen. c. 14. v. 13. *d*) Gen. c. 16. v. 15. *e*) Gen. c. 17. v. 19. *f*) Gen. c. 25. v. 2. *g*) Gen. 25. v. 6. *h*) Gen. c. 19. v. 22.

consumtas civitates respiceret, *a*) in salis statuam versa est. Filiae *Lothi* mortalium genus interiisse arbitratae, ex patre vino sopito susceperunt *Moabum b*) et *Ammonem*, potentium populorum conditores. Quibus evolutis *Abraham* in pietate anno vitae 175. mortuus est. *c*) Cui successit *Isaacus* probitate sua patri similis, *d*) qui rei pecuariae agriculturam adjungens, geminos ex *Rebecca* suscepit filios, *e*) *Esau*, et *Jacob*. *Esau* vivo adhuc patre in Arabiam secedens, ejus posteri aucti Jonicam gentem constituerunt. *Jacob* ex Mesopotamia, quo fratris metu fugerat redux, ab Angelo *Israelis* nomen accepit, et ex *Lia*, aliisque uxoribus Patriarchas genuit duodecim tribuum auctores, ut supra vidimus; ex quibus invidi fratres *Josephum* Ismaelitis, hi vero *Putifaro f*) Aegypti Regis Praefecto vendiderunt, cui in re domestica fideliter serviens, impudicae haere calumnia subito oppressus, et in carceres conjectus est; *g*) unde ad Pharaonis somnia interpretanda evocatus, *h*) quum sapienter regnum ab excidio praeservasset, Pro Rex confestim creatus, brevi Patris et fratrum liberator evasit; tota autem *Jacobi* familia dum in Aegyptum ingressa est, 70. capitibus praeter mulieres constabat. Ast post mortem *Josephi*, *Pharao* quidam, nec merita *Josephi* jam noscens, ex invidia

---

a) Gen. c. 19. v. 26. *b*) Gen. 19. v. 37. 38. *c*) Gen. c. 25. v. 7. 8. *d*) ibid. v. 11. *e*) ibid. v. 25. *f*) Gen. c. 37. Joseph. antiq. L. 2. c. 23. *g*) Gen. c. 39. *h*) Gen. 40. et 41.

dia vel metu gentem totam eradicandam statuit, jubendo omnes masculos occidendos quicunque de hinc nascerentur. *a*) Quo durissimo tempore natus, divinitus conservatus *b*) et educatus *Moses*, quum maturuisset originis suae gnarus, gentilium iniquitates acerbissime tulit, Aegyptiacumque hominem, in Hebraeum saevientem occidendo, vitae periculum fugiendo evasit; *c*) ac in Arabia pecuariae rei locans operam, cum octvagenarius esset, Deus ex ardente rubo, eum in Aegyptum proficisci, et populum Hebraeorum inde educere jubet, quem desuper miraculorum splendore, fratrisque *Aronis* consortio *d*) animat. Qui etiam mandatis divinis obsequutus, ubi reluctantem sibi *Pharaonem* seu *Sesostrim*, quoniam alia prodigia non moverunt, caedes primogenitorum *e*) una nocte ita fregit, ut protinus Hebraeos cum omnibus suis facultatibus egredi permitteret a. ante Ch. 1530. qui cum Israelitas Aegyptiorum spoliis oństos, jamque per maris rubri sinum sicco pede transeuntes stolide retrahere conaretur, ipse *Pharao* cum omni Aegyptiorum exercitu aquis obrutus misere periit. Numerus Hebreorum qui vigesimum annum tunc excedebant, sexcentis millibus, sine mulieribus et Levitis major erat; quae multitudo Arabiam

---

a) Exodi. c. 2. Joseph. antiq. L. 2. c. 5. 6. *b*) Eusebius L. 10. *c*) Exod. c. 2. v. 11. seqq. *d*) Exod. c. 3. 4. et 7. v. 7. seq. *e*) Strabo. L. 16. Aegypti Geogr. Orosius L. 1. c. 8—11. Justin. L. 36. Diod. Sicul. L. 40. Tacitus Hist. L. 5.

biam ingressa et divinitus *a*) Manna ali coepta est. Sic ultro promotum agmen, in itinere ab Amalecitis infestatur, ubi *Moses* orans, suis in praelium eductis, *Jesum* praefecit ducem, et promtam reportavit victoriam, unde ad montem Sinai perveniens *b*) mox Deus foedere cum Hebraeis facto, tamquam rex suo populo leges per *Mosen* dedit. At ingratus adversus tot beneficia Dei populus contra *Deum* et *Mosen* murmurare coepit, ideo missi sunt in Chananaeam 12. exploratores *c*) ex omni tribu, quibus reversis, quum decem; famam malam de sterilitate terrae reportassent, populus seditionem movens in Aegyptum regredi statuit; quo temerario ausu in poenam, 40. annis a *Mose* per Arabiae deserta circumducti sunt, donec rebelles omnes interiissent. Maxima autem seditio excitata fuit a *Cora*, *Datan*, et *Abiram* quos terra vivos absorpsit *d*) Dein *Moses* facili *e*) marte bella gessit contra *Sihon*, et *Og*, reges Amorhaeorum. Tandem anno 40. ad fines Chananaeae pervenientes, scelestissimum genus Moabitarum, et Madianitarum invenerunt; ubi populi tanta superstitione imbuti habitarunt; ut suos liberos in ignem conjectos idolis immolarent; quare divino mandato univer-

sos

---

a) Exod. c. 16. v. 15. *Manhu* significat: *quid est hoc*: ad quod respondit Moses *Iste est panis*, *quem Dominus dedit vobis ad vescendum*. *b*) Exod. c. 19. et 20. Joseph. antiq. L. 3. c. 1—4. Sulp. Sever. L. 1. *c*) Numer. c. 13. et 14. *d*) ibid. c. 26. et 27. Joseph. antiq. L. 3. c. 12. *e*) Numer. c. 16. v. 1.

sos funditus exstirpare jussi sunt Israelitae. Verum impii hi homines arte magis *Bileami* arioli qui formosissimas puellas eis objiciendas svaserat, Israelitas *a*) oppugnare coeperunt, qua arte plurimos etiam ad sua flagitia et idololatriam induxerunt; quam tamen impietatem *Pinehas* zelo suo tantisper sedavit. Principem *Samri* cum sua *Casbi*, hasta trensfigendo. *Moses* vero suis qui deliquerunt interfectis, Madianitis vero caesis ad montem Abirim ascendens, inde terram promissam conspexit; ac jussu Dei *Josuem* coram populo statuens successorem nominavit, cunctisque datae legis observantiam inculcans, *b*) mortuus est anno aetatis 120.

Josue Dux II. populum siccato Jordanis alveo in Chanaan traduxit, et mox mirabiliter urbem Jerichuntem, cujus moenia ad clangorem tubarum corruerant *c*) cepit; hujus loci calamitate territi Gabaonitae, foedus ab eo callida arte impetrarunt. Postea *Josue* multa cum incolis Chanaan praelia commisit, qui etsi scirent terram suam a Deo Israelitis datam esse, eam tamen diu obstinate tuebantur; donec tandem uno et triginta regibus eorum *d*) cum innumera multitudine caesis, pluribusque locis occupatis, Israelitas in promissa sede collocavit, terramque tribubus sorte divisit. Sola tribus *Levi* quae ex decimis et rebus Deo dicatis victitabat, nullos

agros

---

a) ibid. c. 21. *b*) ibid. c. 25. *c*) Numer. c. 27. v. 22 23. *d*) Josue c. 11.

agros accepit, sed per reliquas sparsa est. *Josue* a. aetatis 110. obiit. *a*) Mortuo *Josue* nullum commune reip. caput fuit, Seniores enim coeperunt praesse quibus etiam extinctis, Israelitae affinitatibus cum Chananaeis, quos vel non poterant subigere, vel devictos tributorum causa conservabant, juncti; ad falsa eorum numina colenda declinarunt, cujus sceleris poena fuit servitus a vicinis nationibus imposita, *b*) quam toties subire debuerunt, quoties ad idolatriam defecerunt; ut primum autem Dei cultum agnoverunt, mox Deus per peculiarem hominem e servitute illos liberavit; et tales viri *Judices* vocabantur, ex quibus celebriores sunt: *Athniel* primus Judex *c*) qui *Chusamum* Mesopotamiae regem, Israelitas servitute prementem magna clade affecit. *Ehudis* virtus in bello contra Moabitas enituit, quorum regem *d*) *Eglonem* in sua aula transfixit. *Samgar e*) Sexcentos Philistaeos occidit. *Barach* hostiles copias regis *Jabin f*) gladio delevit, cujus victoriae artifices erant duae celebres feminae, *Debora* Prophetissa, quae *Barachum* ad bellandum animavit. Altera heroica femina fuit *Jael*, quae *Siseram* ducem exercitus Regis *Jabin g*) pedibus fugientem blande invitans, lacte et butyro saturavit, sopitum vero clavo temporibus infixo necavit. *Gideon* sui aevi heros Madianitas et Amaleci-

---

a) idem. c. 23. 24. Joseph. Antiq. L. 5. c. 1. §. 29. *b*) 2. Reg. c. 17. v. 6. et 2. Reg. 24. *c*) Jud. c. 3. v. 8. seqq. *d*) Jud. c. 3. v. 12. *e*) ibid. v. 31. *f*) ibid. c. 4. v. 16. *g*) ibid. v. 21. et c. 5.

fecitas sono clangentium tubarum et lampadum nocturno tempore fulgentium terrore *a*) prostravit. *Abimelech* patri dissimillimus, caesis septuaginta fratribus suis tyrannidem occupavit, rex Sichemi factus, *b*) rebelles Sichemitas funditus delevit; tandem in obsidione arcis Thebez, ictu lapidis molaris a muliere quadam dejecti tactus; moribundus armigero se necandum praebuit, ne dicatur caesus manu mulieris. Huic successit *Jephte* virtute et religione longe maior, *c*) qui signa cum Ammonitis collaturus, vovit se si victoria potiretur, domum revertenti, quidquid primum occurrerit, Deo immolaturum; voti damnatus dum domum reverteretur, filiam quam unicam habebat sibi obviantem mactavit, ut suo dolore jurisjurandi religionem firmaret. *Samson* admirandi roboris vir, tamen *Dalilae* illecebris captus, *d*) ludibrio habitus, succrescentibus tamen crinibus, se, hostesque convulsis aedibus communi ruina sepelivit, et morte sua Israelitis libertatem procuravit, anno Magistratus vigesimo. *Eli* Pontificis temporibus judicatus cum pontificatu erat conjunctus, sub quo magno praelio Israelitae a Philistaeis victi, ipsa arca ab hoste capta fuit; qua infelicitate audita, de sella sua prolapsus exspiravit. *e*) *Samuel* dein Propheta

---

a) Jud. c. 6. et 7. et 8. usque v. 28. *b*) Jud. c. 8. v. 29. seq. et c. 9. v. 22—54. et c. 10. v. 1. seq. *c*) Jud. c. 11. v. 1—40. *d*) Jud. c. 16. v. 4—31. et c. 15. v. 20. *e*) 1. Reg. c. 4. v. 13.

ta et ultimus Judicum eam strenue revindicans magna fide munus Judicis gessit, circumeundo quotannis conventus juridicos in urbibus Bethel, Gilgal, et Mizpa: de Philistaeis victoriam reportavit grandine et fulminibus de coelo impetratis. *a*) Sed eo senescente, Israelitae filiorum ejus moribus, qui munera in judiciis palam captabant, offensi; more ceterarum gentium, sub Rege Deinceps esse voluerunt.

Saul primus Rex est electus ex tribus *Beniamin*, qui dum initio a pluribus suorum contemneretur, relata insigni victoria *b*) de Moabitis, Ammonitis, Idumaeis, et Philistaeis, omnium suffragiis in regno stabilitus est: a quo tempore felicissime adversus vicinos bellavit, donec Amalecitas funditus delere jussus, Rege gentis et melioribus spoliis *c*) contra divinum mandatum sibi reservatis, a Deo rejici meruit; et mox *David* e tribu *Juda* successor ei designatus, ac a *Samuele* clam inunctus est; quem licet optime de se, et Israelitis meritum esse novisset, pertinaci tamen insectatione ad Philistaeos *a*) fugere compulit; brevi tamen *David* gratiam obtinens, cum in aciem ad fratres divertisset, contumelias *Goliathi* Philistaei non ferens, cum eo singulari certamine congressus, eundem gigantem prostravit; in cujus victoriae te-

---

a) 1. Reg. c. 7. v. 3—14. et c. 6. v. 1. *b*) 1. Reg. c. 14. v. 47. seqq. Jura regis vide apud Pet. Cunaeum L. 1. c. 14. de rep. Hebraeor. *c*) 1. Reg. c. 15. v. 19. seqq. *d*) 1. Reg. c. 27. v. 2.

testimonium etiam regiis vestibus cohonestatus fuit. *a*) Tandem recrudescente contra Philistaeos bello, ipse *Saul* una cum filio *Jonathane* in montibus Gilboe cecidit. *b*) cum regnasset annos 40. a. M. 2900.

David, *Isai* Bethlehemitae filius, bellica virtute, pietate, et donis vaticinandi clarus, primis annis suae tantum tribus Judae, tardius vero *Isbosetho Saulis* filio, qui reliquis praeerat, scelere aliquorum interfecto, totius populi Israelitici rex evasit, *c*) ac eximia erga inimicos mansvetudine, hostium perpetuo victor exstitit; Hierosolymorum arcem vi captam munivit, et *Davidis* urbem dixit: *d*) ubi quum sibi et Deo sedem collocasset, sacrum quoque Tabernaculum et Arcam foederis incredibili apparatu ac laetitia statuit. Postea Philistaeos, Idumaeos, Amalecitas, Moabitas, Ammonitas et Syrios tributo subjiciens, a. ante Ch. 1035. limites imperii a *Sichore* Aegypti, usque Euphratem protulit: *e*) a quo tempore opibus et gloria florens, tandem adulterium cum *Bathseba*, caede innocentis Uriae cumulavit, *f*) manifestum humanae imbecillitatis documentum; qui brevi a *Nathan* propheta objurgatus, culpam agnovit, lacrymisque delevit: *g*) quam tamen paena est secuta; nam-

---

a) 1. Reg. c. 17. v. 50. et c. 18. v. 4. *b*) 1. Reg. c. 31. v. 8. *c*) 2. Reg. c. 2. v. 10. *d*) 2. Reg. c. 5. v. 7. *e*) 2. Reg. c. 8. *f*) ibid. c. 11. v. 17. *g*) ibid. c. 13. v. 31. et c. 22.

nam regno, ab *Absolone* filio pellitur, praeterea in uxoribus suis et in una filia, id probri accepit, quod ipse intulerat conjugi alienae. Ceterum divino Numine demissione placato, *Absolonem* acie superans, *a*) regnum amissum recuperavit: brevi vero *Salomone* quem ex *Bathseba* justa jam uxore genuerat rege constituto, ipse Septvagenarius inter rara humanae felicitatis virtutisque exempla numerandus, 40. regni anno mortalitatem exuit. *b*) a. M. 2941.

Salomon a. ante Ch. 1006. tertius rex, *Davidis* filius, fratre suo *Adonai* morte punito, placide et gloriose imperabat, et donec ex praescripto sapientiae, quam omnibus fortunae bonis praeoptaverat, felicem vitam duxit. *c*) Hierosolymis Deo et sibi splendidas aedes posuit, *d*) prout in regno etiam multas urbes erexit, vel antiquas restauravit, quas inter *Palmyra* Syriae celeberrima est. Ob admirabilem sapientiam, ab omnibus terrarum principibus, certatim legationibus et donis fuit excultus, *e*) imo et Sabaeorum regina ex Arabia felice eum invisit, cujusque difficillimas questiones dissolvit, pueros et puellas aequaliter vestitas, per frigidum balneum dignovit, prout et florem naturalem ab aliis

a) ibid. c. 15. *b*) 3. Reg. c. 2. v. 11. Re sepulchro Davidis. lege Joseph. antiq. Jud. L. 7. c. ult. et L. 13. c. 16. et L. 16. c. 11. Dio Cassius in Hadriano. L. 69. *c*) 3. Reg. c. 2. v. 12. et C. 3. v. 13. 14. *d*) ibid. c. 5. 6. 7. *e*) L. II. Paralip. c. 9. v. 1. seqq. 3. Reg. c. 10. v. 1.

aliis artefactis, per immissionem apis distinxit. Sapientiam ejus pax, divitiae, ceteraque mundi bona comitabantur adeo: ut regnum sui seculi longe esset clarissimum; populusque Hebraeorum nunquam laetius beatiusque vixerit; possidebat enim totam Syriam ab Aegypto usque Euphratem. Cananaeis aliisque populis tributi et publicorum laborum onera imponendo, opes ex vectigalibus, et navigatione in remotissimas oras, maximas collegit. *a*) Sed res nimium secundae Regem pessumdederunt: otii enim et bonorum omnium abundantia, virum sui dissimillimum et luxuriosum effecit; nam mortalium hic sapientissimus, regiam suam, uxoribus 700. et concubinis 300. iisque alienigenis implevit, a quibus semel ad Deorum cultum perductus, ad omnis generis vanitates deflexit, *b*) in fine tamen vitae, licet seria poenitentia se, institutumque suum stultitiae damnaverit; poenam tamen non evitavit. *c*) Deus enim ei adversarios suscitavit, uti: *Hadadum* Idumaeum, *Rezonem* Damasci regnantem, et horum rebellione Idumaeam et Damascum amisit; domi vero *Joroboamum* rebellem expertus est. Atque ita cum 40. annis regnasset, cum dolore per Prophetam didicit: post

F obi-

a) 3. Reg. c. 9. v. 26. seqq. Res Salomonis optime exposuit Joann. de Pineda. Libris 8. de rebus Salomonis. De navigatione ejus. Caspar Varrerius Lusitanus. de Ophyra Salomon. *b*) 3. Reg. c. 11. v. 1. seqq. *c*) ibid. v. 23. seqq.

obitum suum maximam partem Israelitarum a stirpe sua descituram.

Regnum Judae

Salomoni successit a. M. 3029. seu ante Christum a. 975. *a*) ejus filius *Roboam*, qui paterna culpa nutans imperium sua arrogantia evertit: rogatus enim a populo ut de oneribus a patre impositis quidpiam remitteret, tam acerbe et superbe justa populi postulata rejecit, ut protinus exorta seditione duce *Jeroboa* decem tribus ab eo abalienatae, *Jeroboamum* regem sibi crearent *b*) ex tribu *Ephraim*; atque sic duo regna enata sunt: unum *Judae*, alterum *Israelis*, quod etiam *Samaritanum* a regia Urbe Samaria vocari coepit. *Judae* vero regni caput erat *Hierosolyma*. *Davidis* posteri in regno *Judae* erant reges 20. uti: *c*) *Roboam*, *Abia*, *Assa*, *Josaphat*, *Joram*, *Ahasia*, *Athalia*, *Joas*, *Amasia*, *Usias*, *Jotham*, *Achas*, *Ezechias*, *Manasse*, *Ammon*, *Josias*, *Joas II*. *Jojachim*, *Jechonias*, *Zedechias*, usque a. M. 3406. Ex quibus memorabiliores sunt: I. *Roboam*, qui donec vestigiis patris institerat feliciter rexit; verum post tres annos a Deo deflectens, cultum et mores adeo corrupit, *d*) ut etiam Judaei aliarum gentium idola facerent, quare in poenam in manus

---

a) Petavius. Rat. Temp. T. III. p. 2. et 3. Reg. c. 12. *b*) 3. Reg. c. 12. v. 4. *c*) 3. Reg. c. 12. et seqq. item. 4. Reg. c. 1. usque 22. *d*) 3. Reg. c. 14. v. 22. 24. seqq.

nus *Sesaci* Regis Aegypti traditus est; qui regia capta, thesauris omnibus potitus, magna praeda domum recessist. Deinceps *Roboam* continua bella gessit cum *Jeroboamo* usque ad mortem, qui 17. annis praefuit. Post *Abiam* et *Assam* Aethiopum victorem, *a*) celebris a pietate successit *Josaphat*, *b*) qui sublatis superstitionum monumentis, praecipuam curam religionis habens, mox Principes et Levitas per oppida ad erudiendum populum dimisit; quare non modo Deo, sed et vicinis principibus adeo gratus evasit, ut ei sponte tributa offerrent. Ast contracta affinitate cum *Achabi* familia, *c*) Syriaco bello se immiscuit, ubi periculum evitans, domi Forum justitiae instituit. *d*) Demum contra Moabitas pro *Achabo* pugnans, siti fere periturus erat, nisi *Elisaeus* aquam miraculose, spemque victoriae obtulisset. *e*) Postea domi pace, apud exteros honore florens, cum 25. annis regnasset obiit. *f*) Postquam *Joram* et *Ahasia* *g*) impii reges, *Athalia* tyrannus *h*) et *Joas* templi restaurator *i*) regnarunt; hic a. M. 3100. filium *Amasiam*. *k*) sibi successorem constituit, qui in-

a) L. 2. Paralip. c. 14. v. 9. Joseph. antiq. L. 8. c. 6. *b*) 3. Reg. c. 15. v. 24. et 2. Paralip. c. 17. v. 1. seq. Josephus antiq. L. 8. c. 9. *c*) L. 2. Paralip. c. 18. v. 1. *d*) ibid. c. 19. v. 8. seq. *e*) ibid. c. 20. v. 20 et 37. *f*) ibid. c. 21. v. 1. *g*) 4. Reg. c. 1. v. 17. L. 2. Paralip. a. 21. *h*) ibid. c. 22. v. 10. Joseph. L. 9. c. 7. *i*) ibid. c. 24. v. 13. *k*) ibid. c. 25.

infelici cum Israelitis bello temere suscepto, urbem et templum ab iis capi, omnique splendore suo spoliari vidit. Hunc excepit *Usias a*) urbis et regni restaurator; quem excepit filius *Jotham*, et hunc impius *Achas* Ethnicorum imitator *b*) et omni genere superstitionum contaminatissimus, qui dum per regem Israelis et Syriae, in perniciem Judaeorum bello premeretur, spreta divina ope, ad auxilium *Tiglatpilezaris* Assyriorum regis confugiens, se ejus servum esse professus est; cujus etiam viribus regnum suum servavit. Cui dein Successit optimus filius *Ezechias* pietatis instaurator; brevi jugum Assyriorum excussit; quorum regis *Senacheribi* adventu, et jactura multarum urbium perterritus, magna auri vi pacem redimere properavit; quo accepto, hostis quum deditionem ei contra datam fidem imperaret, et horrendis in Deum Judaeorum maledictis uteretur, caesis una nocte per Angelum 185. suorum millibus, inglorius domum redivit. *c*) Elatum tam prospero eventu *Ezechiam* lethalis morbus oppressit, ex quo ab *Isaia* propheta, qui spem aegrotantis regressae in horologio solis umbrae miraculose erexerat, resanatus vitam ad 14. annos adhuc protraxit. *d*) Successit ei *Manasses* impiorum crudelissimus

---

a) ibid. c. 26. Joseph. antiq. L. 9. c. 11. *b*) L. 2. Paralip. c. 28. v. 1. seq. Joseph. antiq. L. 9. c. 12. 13. *c*) 4. Reg. c. 16. v. 20. et c. 18. c. 19. Josephus. antiq. L. 9. c. 13. L. 10. c. 1. et 2. *d*) 4. Reg. c. 20. v. 9. seqq.

mus et Magiae addictus, Prophetarum ac innocentium hominum caede se maculavit, incarcere tamen Babylonico *a*) emendatus; successorem habuit *Ammon* *b*) breve regnum impietate meritus. *Josias* pietatis *c*) restaurator. *Joahas* impius, in Aegyptum a *Necho* abductus. *d*) *Jojakim* *e*) a Babyloniis superatus. *Jechonias* trium mensium *f*) rex; cui successit *Sedecias*, *g*) ultimus rex Judae, et Davidicae stirpis Monarcha, initio regnum beneficio *Nabugodonosoris* tenuit, sed brevi nec Regi fidelis, suos quoque perdidit, nam ob rebellionem Hierosolymis tribus annis obsessus, dum occulte fugam iniret, comprehensus et regis jussu oculis orbatus est; qua ratione impletum erat vaticinium: (venturum quidem eum Babylonem, ast eam non visurum) tunc Hierosolyma capta, incensa, et muris nudata, incolae vero cum Rege Babylonem abducti; ubi Praefecto occisso, poenae metu in Aegyptum profugerunt. Sicque Regnum Judae a. ante Ch. 589. desiit, cujus terra ad finem 70. annorum servitutis Babylonicae, deserta jacuit.

Regnum

---

a) L. 2. Paralip. c. 33. v. 11. seq. Joseph. L. 10. c. 4. *b*) idem. antiq. L. 10. c. 5. 6. et L. 2. Paralip. c. 34. 35. *c*) ibid. c. 36. Joseph. L. 10. c. 6. *d*) idem ibid. c. 6. 7. et L. 2. Paralip. c. 36. *e*) ibid. et Joseph. L. 10. c. 9. *f*) idem ibid. *g*) Jeremiae. c. 52. Joseph. L. 10. c. 10. et 11. L. 2. Palip. c. 36.

Regnum Israelis.

Jeroboam a factiosis decem tribubus rex electus, ut regnum sibi firmaret, cultum veri Dei depravavit, cujus impiis vestigiis alii etiam ejus successores *a*) ex diversis tribubus electi, uti: *Nadab*, *Baesa*, *Ella*, *Semri*, *Omri*. *Achab*, *Achazia*, *Joram*, *Jehu*, *Joahas*, *Joas*, *Jeroboam II*, *Zacharias*, *Sallum*, *Menahem*, *Pechaja*, *Pechah*, *Hoseas*, firmiter institerunt. Inter quos tamen pessimus erat *Achab*, qui *Jezabelem Ithobali* Tyriorum regis filiam infaustis auspiciis perditam duxit, *b*) ac ejus cupiditate ad Israelitas, superstitiosissima *Balis* sacra induxit; quo tempore *Elias Thisbites* trium annorum, et sex mensium *c*) siccitatem in poenam praedixit. *Hoseas* ultimus Israelis rex, prout ejus omnes praedecessores, continua cum Judae regibus gessit bella; sub quo juxta vaticinium omnes Israelitae ab *Salmanassare* Assyriorum rege in captivitatem abducti sunt; qua occasione, Assyrii, pro incolendo hocce deserto regno, Cuthaeos et Babylonios miserunt; qui etiam mox terram circa Samariam insederunt, ex quibus perinvisa Judaeis Samaritanorum natio orta est. Atque sic re-

---

a) Petrus Cunaeus. de rep. Hebr. L. 1. c. 15. Artes Jeroboami describit. Joseph. antiq. Jud. L. 8. 9. 10. de his regibus tractat. Item L. 2. Paralip. c. 10. et seqq. L. 3. Reg. c. 12. seqq. *b*) L. 3. Reg. c. 16. v. 31. 32. seqq. Joseph. L. 8. c. 7. 8. 10. *c*) L. 3. Reg. c. 17. v. 1. seq.

regnum Israelis, quod 250. annis exstitit, ob motus intestinos, contentiones, et continua cum Judaeis ac Syris bella, citius 140. annis, ac Judae in ruinam impulsum est. *a*) Judaei exacta servitute Babylonica, prout ab *Isaia* Propheta ante 200. annos praedictum erat, a *Cyro* Persarum Monarcha potestatem acceperunt in patriam redeundi, *b*) templumque restaurandi a. ante Ch. 535. rectius a. ante Ch. 519. Hoc loco: de anno vehementer dubitant scriptores. Quo beneficio initio pauci Judaei et Israelitae duce *Zorobabele* et *Josua* sacerdote numero 42360 profecti sunt; ubi dein a praecipua tribu Judae, *Judaei* sunt dicti. Oblato demum Sacrificio, templi fundamenta jacta sunt; sed Samaritanorum calumniis disturbatum opus nonnisi *Darii Histaspis* filii temporibus perficere poterant. *c*) Cerum Judaei vectigal solventes Persis, patriis legibus suberant, et a falsorum Numinum cultu, ad quem toties relabebantur vehementer jam abhorrebant. Duces toti genti Rex Persiae dabat; ex quibus *Esdras* memorabilis, libros sacros collectos solicite descripsit; ejusque ope populus ad Legis Divinae normam *d*) redactus fuit. Postea *Nehemias Artaxerxis* Pincerna, multis pri-

---

a) Joseph. antiq. L. 9. c. 13. 14. Jac. Salianus, ad a. 3314 et 3315. Pet. Cunaeus de Hebr. rep. L. 1. c. 10. *b*) L. 2. Paralip. c. 36. v. 22. 23. Esdr. c. 1. Joseph. antiq. L. 11. c. 1. et Esdr. L. 2. c. 2. Paulus Eber Hist. Judaeor. post Captivitatem. *c*) Esdr. L. 2. c. 4. v. 2. seq. *d*) Esdr. L. 1. c. 7. v. 1. seq. Nehemiae. c. 1. 2. 3. Joseph. antiq. Jud. L. 11. c. 5.

privilegiis ad urbem restaurandam missus, *a*) spatio 13. annorum, inter maximas vicinorum calumnias urbs frequentata, totaque politia Judaeorum restituta est; post cujus mortem proprio duce privati, Praefectis Syriae permissi sunt; quo tempore Summi Pontificis potestas crescere, imo et ad res civiles extendi coepit; et insuper Persas ita clementes semper experti sunt; ut Macedonicum imperium inviti subirent. *b*) Quum enim *Alexander* M. Tyrum obsideret, ad *Jadduam* Pontificem legatum misit, militem et commeatum postulaturus, cui Pontifex renunciavit se in fide *Darii* jurejurando obstrictum esse; ob quam offensam *Alexander* ad perdendam Hierosolymam profectus est, quo in periculo *Jadduas* in veste Pontificali, totusque Levitarum ordo in suis infulis *Alexandro* venienti supplices prodiverunt; ubi Rex viso Pontifice mox se inclinavit, ac non virum, sed Deum, cujus nomen tiarae inscriptum Pontifex gesserat, adoravit; imo in templo Hierosolymitano sacra faciens *Alexander*, non modo urbem et populum sua libertate frui permisit, sed et novis privilegiis, (prout jam antea Samaritanis ad montem *Garizim*, religionis suae libertatem concesserat,) honoravit.

Post mortem *Alexandri M. Ptolomaeus Lagi* non magno labore totam Syriam obtinens, Judaeam quoque occupare intendebat, sed Hieroso-

---

a) idem. ibid. *b*) Joseph. antiq. L. 11. c. 8. seqq. Christoph. Cellarii, Collect. Hist. Samaritanae.

solymitani eum intra moenia non receperunt; ideo calliditate usus, quum observasset Sabbato a militaribus officiis Judaeos vacare, armis quasi alta pace urbem ingreditur; et pro lubitu omnia loca occupat, ac 100,000 in servitutem ducit. *a*) *Antiochus* M. eos benigne tractavit, quod praesidium a Romanis *Scopa* duce impositum, in ejus gratiam ejecerint. Ast ejus successor *Seleucus* licet initio benignum se exhibuerit, ubi tamen *Simon Beniamita* ex odio quo ferebatur erga *Oniam* Pontificem, ipsum edocuisset; ingentes in templo Hierosolymitano reconditos esse thesauros; quos ut *Seleucus* raperet, mox *Heliodorum* ducem Hierosolymam ad spoliandum templum misit. *b*) *Onias* alias vir sanctus, omni ope conabatur *Heliodorum* a sacrilegio avertere. Interim *Heliodorus* temere templum intrans, mox ab Angelo occurrente *c*) ut Sacrilegus flagris prope ad mortem verberatus, precibus tamen *Oniae*, sanitati restitutus est. Tandem occiso per *Heliodorum* *Seleuco*, a. urbis, 578. Successit *Antiochus Epiphanes*, quem *Oniae* Pontificis frater *Jason* cum muneribus accedens, *d*) numeratis 360 argenti talentis id obtinuit: ut deturbato fratre suo, Pontificalem dignitatem una cum Principatu, quem Pontifices jam antea tenebant, ipse ascenderet; perversissimumque *Simoniae* exem-

a) L. 1. Macc. c. 11. v. 48. *b*) L. 2. Macc. c. 3. v. 26. *c*) ibid. et Joseph. de Maccabaeis §. 4. *d*) L. 2. Macc. c. 4. v. 7. 8.

exemplum successoribus relinqueret. * His facinoribus non contentus *Jason*, foedissimam Graecorum idololatriam, gentilesque ritus inducendo, patrium cultum vitiavit; quem Divina procurante justitia *a*) triennio post *Menelaus* frater ipso pejor, loco movit; imo et *Oniam* Antiochiae in *Daphnes* asylo degentem occidi jussit. *b*) Ceterum ipse *Menelaus* cum de magnis pecuniae summis promissa non praestaret, anno nec dum evoluto, Pontificatu ab *Antiocho* dejectus est. Interea *Jason* ex Arabia quo fugerat, cum exercitu Hierosolymam intrans, promiscuam caedem omnis aetatis et sexus perpetravit, donec insurgente populo vi ejectus, ac tandem in Aegypto fame enectus est. Ob quae scelera Judaei iram Divinam evitare non poterant; nam *Antiochus* urbem ingressus magnam stragem edidit, templumque intrans, Sanctum Sanctorum, thesauros et vasa sacra dirripuit, ac inde discedens *Apollonium* Judaeae praefecit. *c*) Qui ex mandato regis biennio post, cum exercitu urbem ingressus, eam succendens, caedem ad multa millia commisit. Ut autem Judaei a templo magis abhorrerent, super altari posuit *Jovis* statuam, cui impura animalia immolabat: cujusque edicto: Legis *Mosaicae* exemplaria omnia comburebantur, et sub poena mortis defectio a *Mose*, et transitus ad idololatriam prae-

---

a) ibid. v. 10. *b*) ibid. v. 34. Joseph. antiq. L. 12. c. 5. 3. §. 1. Dion. Siculus Lib. 34. Eccloga. 1. *c*) L. 2. Macc. c. 5. v. 24. Joseph. antiq. L. 12. c. 5. §. 2. seqq.

praecipiebatur, quibus multi obtemperantes, plures tamen ad montes fugientes delitescebant, inter quos *Matathias* sacerdos *Assamonaei* nepos, quum videret extremis quibusvis malis Judaeos adeo affligi, divino zelo correptus, Judaeum idolo sacrificantem, imo et Praefectum regium occidit, ac cum multis arma sumendo, divina virtute suos persecutores magna clade profligavit. *a*)

*) Hinc observamus *Antiochum Epiphanem* jam turpissimum rei sacrae, civiliumque officiorum venditionis exemplum introduxisse; *Jasonemque Simonem* Magum secutum fuisse, contrario tamen effectu. Istud exemplum *Ludovicus XII.* Franciae Rex, licet alio titulo introduxit; pluresque hodie in orbe sectatores invenit adeo: ut potissimum Aulica et Judicialia, Cameralia et Politica publica officia, quasi jure hereditario ad emtores soleant transire, etc. vide Sonnenfelsii opus de Politia et Financia. T. III. §. 106.

Mortuo *Matathia*, exercitus, filium ejus *Judam*, qui alias *Maccabaeus* dicitur, ducem elegit; vir hic felicissimus saepe parva manu, magnos *Nicanoris b*) et *Antiochi* exercitus profligavit, ac post discessum regis in Persidem, templum a profanatione perpurgans, Divinum cultum tribus annis intermissum restituit. *c*) Post cujus mortem communi voto dux electus est *Jonatham d*) sub quo Judaeis plena libertas data et tranquillitas procurata fuit, nam etiam cum

a) L. 1. Macc. c. 2. v. 1. seqq. Joseph. antiq. L. 12. c. 6. *b*) L. 2. Macc. c. 8. v. 1. seq. et c. 9. *c*) L. 2. Macc. c. 10. v. 1. seqq. Joseph. antiq. L. 12. c. 8. seqq. *d*) idem ibid. L. 13. c. 5. §. 7.

cum Romanis et Spartanis foedus renovavit. *a*) Verum non multo post nova mundi facies apparuit, nam a. M. 3852. *Tryphon* tutor *Antiochi* tyrannidem affectans, ne quo modo per *Jonatham* virum fortem, et familiae regiae fidum mora consiliis esset, una cum duobus filiis fraudulenter occidit. *b*) Cujus loco dux et Pontifex electus est *Simon*, cui tanta bonitate adfuit Deus, ut populum *Jonathae* morte desperabundum, a Graecorum jugo plene liberaverit, Gazamque expugnando, arcem Hierosolymitanam cum templo firmis praesidiis communiverit. Ast brevi *Antiochus Sidetes* bellum *Simoni* movit, quo tempore prosperas Judaeorum res, *Ptolomaei* (qui erat Simonis gener) perfidia turbavit, *c*) qui nefarie socerum *Simonem* cum duobus filiis *Juda* et *Matathia* occidendo, tertium *Joannem Hircanum* fugavit, qui tamen mox Dux constitutus, Hierosolymam contra *Sidetae* vim diu egregiae tutatus est, tandem a. ante Ch. 135. annonae, aut potius festi scenopegiae necessitate impulsus, pacem cum rege inivit. *d*) Postea Idumaeos subigens eos circumcidi, et in unum cum Judaeis populum coalescere coegit, acquisitisque magnis opibus anno 31. Pontificatus moriens quinque reliquit filios. Natu maximus *Aristobulus* regis titulum et diadema sumpsit, sed intra annum

---

a) idem. ibid. L. 13. c. 5. §. 8. *b*) ibid. c. 6. §. 1. — 6. *c*) L. 1. Macc. c. 16. v. 16. Joseph. antiq. L. 13. c. 7. §. 2. *d*) Joseph. L. 13. c. 9. §. 1. seq.

num ambitionem cum vita et regno deposuit. *a*) Post haec vidua regina *Alexandra* seu *Salome* mariti defuncti fratrem *Alexandrum Jannaeum* in thronum et *b*) torum collocans, duos filios *Hircanum*, et *Aristobulum* licet susceperit, regnum tamen uxori *Alexandrae* reliquit; quae dum Pontificatum *Hircano* filio concederet, *c*) Judaeorum resp. ambitione Principum et civilibus discordiis in extremam adducta est perniciem; *Hircanus* enim Pharisaeis optime addictus, matre mortua etiam regnum obtinuit. *Aristobulus* ira furens a. ante Ch. 68. *Hircanum* praelio victum regno et Pontificatu cedere compulit. *d*) Interim *Antipater* Idumaeus perniciosus et callidus eo *Hircanum* impulit, ut *Aretae* regis Arabum *e*) auxiliis regnum repeteret. Turbatis ita Judaeorum rebus *Pompejus* Hierosolymas capit, et *Hircanum* Pontificatui restituit; ex quo tempore abrogata regia dignitate, Judaei Ethnarchis suberant; ac intra veteres terminos redacti, vectigal pendere jussi sunt: ipsa vero Judaea Romanorum provincia facta est. *f*) Hac occasione *Pompejus Aristobulum* cum duobus filiis Romam abduxit, sed ex itinere *Alexander* dilapsus, mox contra *Hircanum* in Judaea tumultuari coepit, sed a *Gabinio* captus, securi

---

a) idem. Lib. 13. c. 11. §. 1. seq. *b*) idem L. 13. c. 12. §. 1. *c*) Joseph. antiq. L. 13. c. 16. §. 1. seq. *d*) ibidem L. 14. c. 1. §. 1. seq. *e*) ibid. §. 3. 4. *f*) idem. ibidem. c. 4. § 4. 5.

securi percussus, *Aristobolus* vero veneno sublatus est. *a*)

In tanta fratrum dissensione *Antipater* natione Idumaeus, a Caesare Judaeae procurator constitutus, mox majorem filium *Phasaelum* Hierosolymis, *Herodem* vero Galilaeae praefecit, *b*) qui post pugnam Philippensem, ab *Antonio* Tethrarchiam obtinuit; et non multopost quum *Antigonus Aristobuli* filius auxiliis Parthorum in Judaeam venisset; *Herodes* sine mora Romam ad *Antonium* fugit; ubi praeter spem a senatu rex Judaeae est salutatus et coronatus; *c*) Unde in Judaeam reversus cum *Antiocho* duobus et amplius annis strenue bellavit, tandem ipse *Antigonus* captus, ad palum alligatus, virgis caesus, et securi percussus est. *d*) Atque ita Regnum Judaeorum post Assamonaeos, beneficio Romanorum *Herodes* M. obtinuit, splendidus quidem et sagax, sed sangvinarius rex. Nam cum *Mariamnem* in uxorem duxisset, ejus fratrem *Aristobulum* Pontificem creavit; sed brevi observans eum populo gratissimum, in balneo suffocari jussit. Confirmatus vero in regno, etiam *Mariamnem* conjugem, ejusque Matrem *Alexandram* interfecit; pari crudelitate tribus suis filiis necatis, *e*) ipsum etiam *Christum* in

sua

---

a) idem. ibid. c. 5. *b*) idem. ibid. c. 8. §. 4. seqq. et 9. §. 1. *c*) idem ibid. c. 13. §. 3 et c. 14. §. 1. seq. Dio L. 36. p. 37. Josephus antiq. L. 15. c. 1. §. 2. Item L. 1. de Bell. Jud. c. 18. §. 3. *d*) Joseph. L. 15. c. 7. antiq. et L. 16. c. 3. seqq.

sua infantia occidere conatus est: tandem moriens tres alios reliquit superstites ſilios; *Archelaum*, *Philippum* et *Herodem Antipam*, interquos *Augustus* paternas divisit terras. *a*) Postea *Archelao* a Ch. 6. ob crudelitatem in Galliam relegato, *b*) *Augustus* regioni Judaeae Procuratorem praeſecit Romanum, qualem sub *Tiberio Pilatum* fuisse scimus; *Philippus* sine virili stirpe a. Ch. 34. obiit, cujus Tethrarchiam *Tiberius* provinciae Syriae adjecit, quam dein *Cáligula* ab ea abstractam *Herodi Agrippae* concessit et regem simul appellavit. Interea *Antipas Joannis* Baptistae interfector et *Christi* derisor Romam profectus est, ut aeque Regiam dignitatem consequeretur; sed a *Caligula* in Galliam Lugdunum in exilium relegatus, et Tethrachia ejus in Agrippam translata est; qui dein a. Ch. 40. a *Claudio* etiam Judaea donatus, nimium in Christianos saeviit, *Jacobum* Majorem Apostolum obtruncavit, *Petrum* carceri inclusit. Tandem hoc rege a. Ch. 44. vermibus consumto, Judaea suos reges habere desiit, deinceps enim Syriae attributa, et Procuratori Romano administranda data est; per quos dum severius ac indoles eorum ferret tractarentur, armis se in

a) Joseph. antiq. L. 17. c. 9. et L. de Bell. Jud. 2. c. 6. §. 3. *b*) De his omnibus, Auctor nobis unicus *Josephus Flavius* superest. Omnia enim quae *Salianus*; Torniellus, Capellus, Usherius, Rosa, et alii de rebus Judaicis referunt; cuncta ex *Josepho* hauriunt.

in libertatem asserere a. Ch. 66. statuerunt; cujus belli causa fuit *a*) *Gessius Florus* Judaeae Procurator, qui immanitate et rapacitate sua omnem gentem efferavit. Missus itaque adversus rebellantes Judaeos ab *Nerone* tunc imperante a. Ch. 67. Dux *Vespasianus* qui strenue et feliciter arma per Urbes et vicos circumferebat, donec caede *Neronis*, a militibus Imperator Salutatus, Romam ad sumendam Imperii dignitatem contendens a. Ch. 69. exercitum filio *Tito* tradidit, qui a. Ch. 70. per Assymorum dies, Hierosolymam laboriosissime oppugnare coepit, sed quum cladem accepisset, mox urbem undique includendam et fame domandam decrevit. Quo tempore, ut appareat spreti necatique *Messiae* poenas luere Judaeos, inter mutuas caedes tam horrenda fames moenibus occlusos invasit, ut jam humanis carnibus vescerentur, imo prolium etiam suarum corpora matres absummerent. Tandem injecto igne, arce Antonia et Sionis capta, Templum eversum, Urbs solo aequata, plenam de Judaeis *Titus* reportavit victoriam. Qua vice ut *Josephus Flavius* *b*) oculatus testis tradit: in una hac urbe partim hostium ferro, partim mutuis caedibus, fame aut voluntaria morte, undecies centena millia interierunt.

Post

a) Joseph. antiq. L. 20. c. 11. §, 1. seq. Item. L. de bell. Jud. II. III. IV. V. Tillemontius de ruina Judaeorum. nota 22. seq. Tacitus. L. V. c 10 seqq
b) Joseph. L. VI de bell. Jud. c. 9. §. 3. Dio L. 66. p. 747. Tacitus Hist. L. V. c. 11 seq

Post excidium Hierosolymitanum, a. Ch. 115. sub *Trajano* Imperatore Judaei iterum tumultuari coeperunt, ac dum omni crudelitatis genere in Graecos per Aegyptum et Cyprum grassarentur, a *Martio Turbone* magna clade et rerum suarum jactura compressi sunt. *a*) A quo tempore manabat sangvis et sanies e vulneribus Judaeorum adeo: ut a. Ch. 134. sub *Hadriano* Imp. denuo arma sumerent, aegerrime ferentes non tantum urbem sanctam a colonis Romanorum illuc deductis, novo nomine *Aeliam Capitolinam* vocari; sed insuper in eo, ubi antea Templum Dei stabat loco, nunc Fanum honoribus Jovis positum esse cernerent; quapropter bellum omnium atrocissimum duce *Barcocheba* concitarunt, contra quos *Hadrianus* celeberrimos belli Imperatores, item *Julium Severum* e Britannia evocavit, a quibus Hierosolyma denuo capta, Judaei vero ad internecionem deleti sunt. Hoc in bello *Dio* scribit: praeter innumerabilem *b*) multitudinem, quam fames, morbus aut incendium consumsit, caesa fuisse 580. millia; adeoque hac calamitate Judaea fere tota in solitudinem redacta est. A quo tempore Judaeis Hierosolymam adire sub poena mortis vetitum fuit. Interim ex speciali indultu, uno quotannis die, lugendi gratia adire concessum erat, *c*)

a) Eusebius Hist. Eccl. L. 4. Tillemont. Hist. Imp. T. 2. part. 2. Dio. L. 68. *b*) idem. L. 69. *c*) Eusebius L. cit. Justinus. Apol. 2. Tertulianus contra Judaeos Gregor Nazian. Orat. 12. seqq.

in cujus rei memoriam hodie quoque festum diem celebrant. Ceterum *Julianus Apostata* ad opprimendum nomen Christianum, eludendumque *Christi* vaticinium, Judaeis libertatem concessit a. Ch. 361. templum instaurandi, sed irrito conatu: nam igne e fundamentis erumpente, ab omni opere semper prohibiti sunt. Atque ita in poenam scelerum suorum dissipati, ac per universum mundum dispersi, calamitosam vitam in hodiernum usque diem ducere debent sine Regno, Rege, Lege, Sacerdotio et templo, prout ipsis vaticinatum erat.

§. 1. *Status Literarum et Artium Judaicarum.* In gente Hebraeorum, literarum inventio passim *Josepho Jacobi* filio tribuitur, ex eo: ut *Heumannus* docte ostendit, *a*) quod dum *Joseph* in Aegypto munere Pro Regis fungeretur, ars scribendi Aegyptiis erat incognita, post Hebraeorum vero emigrationem mox, usitata. Item *Josephus* intelligentiam somniorum apud Aegyptios primus condidit, cui nihil divini humanique juris incognitum erat adeo: ut etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providerit. Ac proin cum probabilitate statuimus a *Josepho* ad Aegyptios, Arabes, Chaldaeos, ab his medio *Cadmi* ad Graecos, a Graecis per *Evandrum* ad Romanos, et ab his ad alias gentes sen-

a) Conspect. Reip. Liter. seu via ad Hist. Liter. c. 3. §. 2. in Schol. p 31.

sensim scientias pervenisse; unde error *Biblianderii a*) patet: qui auctorem literarum *Mosem* fuisse statuit. Ceterum admittimus literas a *Josepho* inventas, sed per *Mosem* amplius correctas fuisse, quoniam *Moses* in omni Aegptiorum sapientia rite instructus erat, *b*) qui etiam de primo mundi statu scripsit V. Libros, uti Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum et Deuteronomii, qui simul a Graecis *Pentatheucus* vocatur. Hebraei generatim agriculturae erant dediti, sed nec liberales artes neglexisse videntur, nam architecturam *Salomonis* tempore floruisse, structura templi satis docet; uti et auri, argenti, merciumque exterarum copia, qua *Davidis* et *Salomonis* temporibus Palaestina abundabat, navigationis enim tunc temporis peritissimi erant Hebraei, quos etiam Historiarum cultores exstitisse palam testantur monumenta Historica Veteris Testamenti. *David* Psaltes *c*) egregius, *Salomon* vero Philosophorum sapientissimus, Proverbiorum et Ecclesiastis, aliorumque, qui periverunt librorum scriptor, in Academia Hierosolymitana quam ipse fundaverat bonas artes profitebatur: *d*) cujus exemplo Reges etiam alii sapientiae studebant, sibique mutuo per legatos quaestiones et problemata proponebant, ut de *Hiram* et Regina *Saba e*) legere est. Medicos

G 2 etiam

---

a) de honesta disciplina. L. 17. *b*) Act. Apostolor. c. 7. v. 22. *c*) L. 2. Reg. c. 23. v. 1. *d*) *Pineda* de rebus Salomonis. *e*) L. 3. Reg. c. 10. v. 1. seqq. *Plutarchus* in Symposio VII. sapientum.

etiam floruisse; docet specialis honor medicis exhibitus. *a*) Post captivitatem Babylonicam, ab a. M. 3468. usque ad tempora Machabaeorum, seu a. M. 3840. omnem literaturam *Massoretae* seu Sacri Grammatici tenuerunt, quorum indefessa cura ac diligentia incorruptus Sacrae scripturae textus conservatus est, scriptique sunt a variis viris plures morales et Sacri libri, uti: Libri *Regum*, *Chronicorum* seu *Paralipomenon*, *Esdrae*, *Nehemiae*, et *Syrach*, *b*) Facta est praeterea scripturae Sacrae Versio in lingvam Graecam agente *Philadelpho* Syriae Rege, cujus humanitas et virtus a Viris doctis celebratur, Ipse Literator insignem Alexandriae Bibliothecam exstruxit, in qua teste *Aventino*, 700,000 codices manuscripti erant. Idem scripsit etiam ad Judaeorum Pontificem *Eleazarum*, ut libros sacros ad suam Bibliothecam adornandam mitteret, unaque doctos Judaeos interpretes, qui in Graecum transferrent. De cujus versione ejusque sacra auctoritate dubium non est. Verum *Josephus Flavius* de ejus circumstantiis ex *Aristaeo* *c*) *Ptolomaei* legato tam magnifica refert, ut credibilia esse vix videantur. Hi septvaginta Inter-

---

a) Ecclesiastici c. 38. Isaiae. c. 3. Cl. *Calmet* Dissert. de re Medica veterum Hebraeor. T. I. p. 485. *b*) *Drusius* in observat. L. 1. c. 18. *c*) Ludovicus Vives et Leo Castrius, librum Aristaei rejiciunt. S. Hieronymus vero ridet. sed Bellarminus, Possevinus et alii ut genuinum venditant. Joannes Donnus ut talem Anglice transfert. Scaliger vero fictitiam statuit.

terpretes etiam punctorum primi inventores statuuntur, quoniam ante tempora *Esdrae*, Judaeos sine punctis legisse probabile sit. Sub Principibus Machabaeis multitudo Synagogarum nimium crevit, inter quae Gymnasia, et Scientiarum collegia jure referri possunt, sub quibus Principibus conscripi sunt Libri Machabaeorum, et Liber Sapientiae. Sub Herodianis Principibus semper magis crevit et Doctorum numerus, et Gymnasiorum multitudo, nam tempore excidii Hierosolymitani, vel in sola hac urbe tercentas Synagogas numerarunt. Celeberrimi Doctores *Hillel* senior et *Schammai* aestimabantur. *Josephus Flavius* Historicus Gentis Hebraicae celeberrimus, Antiquitates Hebraeorum, et de bello Judaico eleganter scripsit, qui testis oculatus excidii Hierosolymitani erat. Ante quem *Philo* Judaeus legatus apud Romanos. Post dispersionem autem celeberrimi scriptores erant *Rabbi Juda*, et *Rabbi Joannes* Thalmudicorum librorum concinnatores. De Hebraeorum Philosophorum sectis, ex *Josepho Flavio* vide apud *Heinneccium*. *a*) Nostris temporibus, Judaeis licitum est scholas Christianorum adire, qui altiora etiam studia absolventes, potissimum se ad artem Medicam applicant.

Ani-

---

a) Hist. Univers. c. 11. §. 16.

Animadversio Generalis.

Dum diversarum gentium res gestas recensendas suscipimus, vasto nos committimus Historiarum Pelago; quare ne in eosdem scopulos incidamus, in quos jam plures scriptores, dum nihil omittere intendebant, nimia rerum varietate memoriam juventutis perplexam, imo infinita divisione inducta, plane confusam reddiderunt. Ideo omissis quamplurimis, nos intra certos limites constringemus, contenti iis tantum immorari, quae a studiosa juventute imprimis sciri, non vero ignorari debent. Et quia totius Veteris Testamenti Historiae medullam quasi constituant, quatuor celeberrima Imperia olim florentissima, uti Assyriorum, Persarum, Graecorum, et Romanorum; quae per Excellentiam Monarchiae appellantur; earum Monarchiarum ortum, progressum et interitum, eadem qua incepimus methodo recensebimus. Aliarum vero Gentium, quae tempore unius aut alterius Monarchiae floruerunt, influxumque in praecipuos populos habuerunt, brevibus quidem, pari tamen norma quantum valemus, exponemus.

Ca-

Caput IV.

DE MONARCHIA PRIMA.

Babylonico - Chaldaico - Medico - Assyriaca.

§. 1. *Statistico Geographica notio Imperii Assyriaci.* Vastum hocce Imperium Assyriacum, ex pluribus subjugatis regnis, post diluvium centum et aliquot annis in terra Chanaan florere coepit, cujus termini generales erant: *a*) a Sidone usque ad Gazam, item Sodomam Gomorrham, Adamam, Seboim, usque Lesa. In specie autem Assyria *b*) super sinum Persicum versus Boream jacebat, quae erat pars Syriae ab ortu trans Tygrim et Euphratem, *c*) unde error *Herodoti* patet: qui Syrios a Graecis, Assyrios vero a barbaris vocatos contendit. Huic vicina regio fuit Singarena, ubi *Babylon* intra Euphratem et Tygrim *d*) a *Nimrodo* magnifice condita, a Parthis amplificata, a *Nabuchodonosore* adeo ornata, *e*) ut vetustam industriam recentior fastus magnificentia superaret; nam urbs in ambitu 16. mill. complectebatur, in muri altitudine sex currus una prodire poterant: altitudo muri 365. pedum, et per ejus ambitum centum portae stabant. Juxta arcem, horti pensiles admi-

---

a) Gen. c. 10. v. 19. *b*) Pomponius Mela. L. 1. p. 13. *c*) Ptolem. Tab. V. Asiae. Plinius L. V. c. 22. Mela L. 1. p. 36. *d*) Joseph. Antiq. Jud. L. 10. c. 11. *e*) Plinius L. 6. c. 26.

mirandi in gratiam pellicis facti sunt. Alia civitas floruit *Arecca* ad Tygridis oram sita, in cujus tractu nascitur Naphtha bitumini similis, *a*) Item *Chalne.* *b*) Agrum Babyloniae, totius orientis fertilissimum dicit *Plinius*; *c*) in cujus campos ex monte Ararat post diluvium primi homines descenderunt, et sensim cum remotissimis gentibus commercium exercuerunt. — Assyria vero ab *Assur* seu *Nino Semiramidis* marito, *d*) aut juxta *Josephum* *e*) a *Semi* filio vocatur. Nam haec verba *Mosis*; *f*) *de terra illa egressus est Assur et aedificavit Ninivem*, dupplicem patiuntur sensum; disputatur etiam num *Assur* hoc loco sit nomen viri vel regionis. *Jacobus Capellus*, *et Bochar* cum multis, regionem intelligunt: juxta quos *Nimrod* erecto prius in Babylonia regno, in Assyriam movit, et ibi a filii *Nini* nomine *Niniven* exstruxit; quem sensum etiam *Moses* tenuisse videtur, quoniam citato loco distincte de *Chami* et de *Semi* progenie loquatur. Assyria est fertilissima regio, frumento, vino et oleo, praestantissimis consita arboribus *g*) tribusque rigata fluviis, uti Lyco, Capro, et Gorgo, hodie regio appellatur *Curdistan* a Curdis incolis. *h*) Caput regionis erat *Ninive* seu sedes filii *Nini*, sita ad Tygrim versus orien-

---

a) Ammian. L 23. c. 6. *b*) Amos. c. 6. v. 2. et Isaiae 10. v. 9. *c*) L. 6. c. 26. *d*) Gen. c. 12. v. 2. *e*) Strabo L. 16. Diodor. L. 2. §. 3. *f*) Joseph. antiq. L. 1. c. 7. *g*) Gen. c. 10. v. 11. *h*) Marcellin. L. 23. c. 6.

orientem, urbs omnium maxima, cujus splendidam imaginem nobis exhibet *Diodorus a*) dicens: ambitum moenium 480. stadia complexum, altitudo murorum 100. pedum erat; latitudo, qua tres simul currus perambularent. De magnitudine ejus *Jonas* Propheta dicit: *b*) *Ninive erat civitas magna itinere trium dierum*, *c*) *in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum qui non peccaverunt*: id est tantum innocentes. Destructa fuit sub *Sardanapalo* per *Arbacem*. Erant et aliae civitates uti: *Rechoboth*, *Calacha*. *d*) et *Resena* a Medis habitata. De incolis Assyriae *Diodorus e*) haec dicit: Assyrii erant plerique iidem potentissimi, ex aliis tamen nationibus qui vellent aggregatis. *Chaldaei* erant homines docti, aliunde in Babyloniam venientes *f*) diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse; unde Babylon, etiam terra Chaldaeorum vocatur. — *Mediae* regio licet sit opulenta, septemtrionalis tamen montana tenuis est; quare ibi arborum fructibus homines nutriuntur, ex malis siccis massas conficiunt, carnibus ferinis utebantur, *g*) et mitia pecora non alunt. Reges eliguntur fortissimi, qui uxores plures duxerunt, a quibus mos ad subditos dimanavit. Medorum Soboles Sarmatae erant, et hi varii. *h*)

Haec

---

a) Taverner. Itiner. P. 1. L. 2. c. 45. *b*) L. 2. *c*) c. 3. v. 3. *d*) idem. ibid. c. 4. v. 11. *e*) Gen. c. 10. v. 11. 12. *f*) L. 2. c. 3. *g*) Cicero L. 1. de divinit. Clem. Alex. Strom. L. 1. p. 305. *h*) Strabo L. 2. p. 147.

Haec de situ, splendore ac magnitudine primae Monarchiae dixisse sufficit; ut imago quaedam detur magnificentiae veterum.

§. 2. *Status Religionis*, *et Consuetudinis*. *Nimrod* qui in scriptura S. *a*) robustus venator dicitur, a profanis scriptoribus passim *Belus* seu Dominus vel domitor, a *Plinio* *b*) sideralis scientiae inventor; ab *Herodoto* vero Pater *Nini* *c*) appellatur; quem filius *Ninus* ut potentem hominem pro Deo haberi coepit, primamque idolorum vanitati originem praebuit; unde posteriorum nefanda superstitio, varios sibi Belos vel Baalos excogitavit, quos divina humanaque monumenta satis memorant. *d*) et revera mirum est, quantos repente progressus fecerit haec stulta impietas; nam paulatim Solis, Lunae, Stellarumque nomina regibus mortuis et eorum statuis imponentes, iisdem divinitatis aliquid inesse crediderunt. Ceterum *Nimrod* *e*) primus ignem a Babyloniis adorari jussit, quae idololatriae labes; cum tempore Assyrios, Persas, Graecos et Romanos etc. infecit. Hujus insaniae contagio *Tharam* quoque patrem *Abrahami* virum apud Chaldaeos eximium *f*) invaserat, cui tamen Deus alias sedes querere imperavit. *Chaldaei* apud Babylonios, et Assyrios in rep. eum tenuerunt ordinem, quem Aegyptiorum Sacerdotes seu Pro-

---

a) Plin. L. 6. c. 7. *b*) Gen. c. 10. v. 9. *c*) L. 6. c. 26. *d*) L. 1. c. 7. Diodor. L. 1. c. 28. *e*) Euseb. L. 9. Praepar. Evang. c. 4. Epiphan. L. 1. adver. haeret. *f*) Chron. Alexand. in bibl. Patr. T. 12.

Prophetae, *a*) et Persarum Magi: ac proin erant ministri religionis, Deorum cultui addicti, per omne tempus vitae philosophari, futura praedicere, somnia et prodigia interpretari, Sacrificiis et incantationibus mala avertere, et bona procurare, parentumque filios ad praecepta artis docere. Idem *Diodorus b*) dicit: Chaldaeos credidisse creationem, et divinam providentiam. Inter civilia instituta habebant, ut omnes mulieres semel in vita ad templum veneris ire, ibique *c*) cultum cum exteris praestare debeant. Rei venatoriae mature vacaverunt, secuti *Nimrodum*. *d*) Pro stipendio saepe Indis *e*) militare; latrociniis ac praedationibus vivere solebant; irruerunt enim plane et in Camelos *Jobi*, *f*) puerosque interfecerunt. Assyrii, Virgines conjugio maturas in foro vendunt, et quam quis emit, *g*) eam sponsam abducit. Babylonii autem et exteras auro mercari solebant, *h*) ea tamen lege ut matrimonio sibi jungant. Mos castrandi mares invaluit a *Semiramide i*) cujus successores turpe hoc institutum continuarunt: cujus foedissimi moris justum suplicium tulit *Semiramis*, nam *Ninus* filius ei immisit Eunuchum *k*) Siccarium. Aegrotos in forum efferebant, ut a praetereunti

---

a) Josue c. 24. v. 2. *b*) Clem. Alexand. Strom. L. 1. q. 305. Cicero. L. 1. de divin. Diodor. L. 2. c. 29. *c*) idem. ibid. c. 30. *d*) Herodot. L. 1. c. 198. 199. *e*) Gen. c. 10. v. 9. *f*) Xenoph. p. 51. *g*) Job. c. 1. v. 17. *h*) Aelian. L. 4. c. 1. *i*) Herodot. L. 1. c. 196. *k*) Amm. Marcell. L. 14. c. 6.

tibus juvarentur, nemini enim licuit praeterire aegrum sine noti remedii communicatione, *a*) mortuorum cadavera, in melle sepeliverunt; luctus funebrales, Aegyptiis erant persimiles.

§. 3. *Status Politicus Imperii Assyriaci*, Imperium politicum post dispersionem Babylonicam *Nimrodum* occupasse, et prima Monarchiae fundamenta *Babylone* jecisse *b*) communis est opinio; quem profani scriptores *Bel*, seu *Assur* vocant. Regnum hoc alias dicitur etiam regnum *Chaldaeorum*, quia reges Babylonici in Chaldeae regione aeque regnabant. *c*) Deinde vocatur et regnum *Assyriorum*, ab *Assur* qui regnum Assyriae fundavit, et a Chaldaeis ad Assyrios summum imperium transtulit, vel quod sedem regum, ad Assyriae metropolim Ninivem transposuit. Ex quibus patet quod in hoc imperio prima Dynastia fuerit familia *Nimrodi*; cujus tempore *Ctesias* *) deducit fabulosum Assyriorum imperium, a. M. 1980. statuitque ejus successorem *Ninum*, qui tamen longe recentioris aevi erat. *d*) Nam *Nimrodi* posteri seu Cuschitae post 340. annos de regimine pulsi, deinceps per 225. annos Chaldaei regnarunt, quibus Arabes septem reguli succedentes 210. annis praefuerunt, quorum ultimum vicit *Ninus* celebris ille Assyriae Monarcha, *e*) circa M. 2750. Periodi Julia-

nae

a) Joseph. antiq. L. 10. c. 11. *b*) Diodor. L. 2. c. 20. *c*) Herodot. L. 1. c. 197. 198. *d*) Gen. c. 10. v. 10. *e*) Esdrae L. 1. c. 5. v. 12. Michaeae. c. 5. v. 6. Diog. Laertius praefat. §. 2. Euseb. in Chron. Graec. p. 14. Greg. Syncell. Chron. p. 92.

nae a. 3480. qui cum *Ariaeo* Arabum rege inita societate, spatio 17. annorum totam Asiam praeter Indos et Bactrianos in suam redegit potestatem. Post *Semiramidem Nini* uxorem et reginam, quae regno suo Aethiopiam adjecerat, et universae Asiae ut regina floruerat; item post ejus filium *Ninyam*, alii multi minus noti successores erant usque ad *Sardanapalum* per annos 520. ut Herodotus *a*) contendit. Post mortem *Sardanapali* I. Imperium Assyricum magnam subivit mutationem, nam dum ab *Arbace* medorum rebelle duce *b*) victus ad mortem voluntariam adigeretur, ejus sedes imperialis, in Ecbatanam Medorum Urbem ab *Arbace* est translata; Babyloniorum vero Praefectura *Beloso* est tradita: *c*) unde patet Monarchiam Assyriacam non fuisse divisam, sed tantum in *Arbacem* Medum translatam; *Belesum* enim fuisse *Arbaci* subjectum constat ex *Diodoro Siculo.* — Divisam tamen fuisse Monarchiam alii dicunt *d*) in tria separata regna, nempe: *Medicum*, *Assyricum* et *Babylonicum.* Primus Rex in regno Mediae erat *Arbaces*, duravitque hoc regnum usque ad *Astiagem*, qui a *Cyro* victus et regno privatus est. — Assyriaci regni metropolis mansit

---

a) Herodot. L. 1. c. 95. *b*) Diodor. Sicul. L. 2. c. 24. — 28. Justin. L. 1. c. 3. *c*) idem Diodorus. ibid. Multi a Pseudo-Megasthene Annii Viterb. Vide Strauchium Brev. Chron. L. 4. c. 15. Quaest. 1.

sit Ninive, cujus primus rex erat *Phul*, quem exceperunt *Tiglatpileaser*, *Salmanassar*, *Senacherib*, et *Assarhaddon*, post cujus obitum Regnum Assyriacum Medis, et Babyloniis fuit subjectum. — Babylonici regni metropolis erat Babylon, inter cujus reges celeberrimus est *Nabucadnesar*, qui totum fere orientem sub jugum misit, populumque Judaicum in captivitatem Babylonicam abduxit. Ultimus rex fuit *Darius Medus*, quo a *Cyro* Persa devicto, Babylonii dein Persis paruerunt: quo tempore nova assurexit Monarchia secunda nempe Persica. — Sub prima Monarchia Assyriaca imprimis admirationem merentur Aegyptii, dein Phoenices, Chinenses, Lydi, et Indi, de quibus post primam Monarchiam, ordine agemus.

*) De Monarchia Assyriorum, duorum celeberrimorum et antiquissimorum scriptorum uti *Herodoti*, et *Ctesiae* sententiae adprobantur ab omnibus tardioris aevi scriptoribus. *Herodotus* Halicarnassenus in hodierna Natolia natus, scripsit ante natum Christum 444. annis, et Assyriorum Monarchiam, ante *Cyri* M. tempora 520. annis stetisse, fundatamque a *Nino* contendit. — Alter scriptor *Ctesias* similiter in Natolia natus, vixit ante Christum 406. annis, qui in castris *Cyri* junioris existens in pugna ab *Artaxerxe* Memnone captus, quem etiam ex accepto in praelio vulnere in morbum incidentem sanitati restituit; et deinceps in Persia artem suam Medicam publice exercuit; hic scripsit 20. Tomis de Assyriis et Persis, cujus Historiam *Aristoteles* tamquam fabulosam rejicit; verum alii non contemnendi Viri uti: *Diodorus Siculus*, *Trogus* et alii multi tamquam veram agnoscunt demtis rebus Indicis. Hujus *Ctesiae* scripta *Photius* Constanti-

no-

nopolitanus Patriarcha qui mortuus erat a. Chr. 891 rite conservavit. *Ctesias* in suo opere, Assyriorum Monarcharum Historiam deducit a *Nimrodo* ejusque filio *Nino*, et statuit hanc Monarchiam, inde ab sui initio usque interitum mille tercentis et amplius annis stetisse ac floruisse, sed quia de primis Monarchis, uti *Nino Semiramide*, et *Nynia* multa admirenda pro ea aetate adferat; ideo passim a Scriptoribus, licet minus recte rejicitur; qui pro refutatione *Ctesiae*, similia adducunt argumenta I. Juxta *Ctesiam*, regnavit *Ninus* post diluvium circiter 150. annis, et tamen unum millionem militum, habuit, eduxitque contra Bactrianos; quae tamen copia altero post diluvium seculo vix e toto genere humano conflari potuisset. De *Semiramidis* autem exercitu adhuc longe intemperantius fabulatur, ab hac enim 300,000. peditum 250,000. equitum et 100,000. currus falcatos ducta fuisse scribit. II. A *Nino* tradit Niniven ad Euphratem, non ad Tygrim fluvium conditam fuisse, prouti et Babylonem in vacuo solo a *Semiramide*; ubi tamen ex *Mose* constat longe alios harum urbium conditores fuisse. III. Imperium *Nini* et successorum ejus, ab India ad totam Asiae superiorem et inferiorem extendit; cujus tamen fines *Herodotus* in sola Asia trans *Halim* fluvium terminari dicit. Cujus conformia testimonia in sanctis literis deprehendimus, nam temporibus, Abrahae, Mosis, et Iudicum, nullum vestigium Assyricae dominationis deprehenduntur. IV. Civitatem *Niniven* ante adventum *Jonae* Prophetae, 70. annis citius excisam dicit, *Jonas* autem eo veniens post 70. annos tam amplam deprehendit civitatem, ut ejus circuitus triduo itinere egeret, et ultra centum millium parvulorum numeraret. Similia titulo jactantiae quidam Scriptores adferunt, nunquam tamen certi quid tales vellicatores producere poterunt; in veritate autem enucleanda probabilitas nunquam parit certitudinem. Tales conjecturas lege in Hist. Universali. cl. *Josephi Kereszturi*, nuper edita.

§. 4.

§. 4. *Status belli, et memoria Virorum Principum. Nembrod* homo ambiciosus, cum magna sociorum manu desertam urbem Babylon reaedificans, primum in Orbe regnum condidit, et ab ejus morte, filiique *Nini* initio passim Monarchiam Assyriacam inchoant, *a*) *Ninus* hic sedem imperii ad Niniven transposuit, primusque imperii sui dilatandi causa bella cum exteris habuisse *b*) fertur; subacta enim Asia, etiam Bactrianos una cum eorum rege *Zoroastre* domuit consilio potissimum *Semiramidis*, quae cujusdam bellici Praefecti uxor erat; et postea ipsam suo thoro junxerat, sed infeliciter; nam brevi sive fraude uxoris *Semiramidis*, *c*) sive in cujusdam rebellis urbis *d*) oppugnatione, telo ictus occubuit; post cujus obitum *Semiramis* 42. annis in locum filii imperium tenuit, *e*) quod dein non tantum multarum provinciarum adjectione, sed etiam urbe Babylone amplificata *f*) longe splendidius reddidit. Quam tandem occidit filius ejus *Ninyas*, qui mollius a matre educatus, ab antecessorum virtutibus deflectens, vitam in deliciis duxit, regnumque per summam socordiam tenuit, raro visus, inter greges pellicum consenuit; quem morem ad posteros etiam

trans

---

a) Castor Rhodius - cujus fragmenta apud Eusebium sunt. *b*) Diod. Sicul. L. 2. c. 1. Justinus L. 1. c. 1. *c*) Aelianus. Hist. variae L. 7. c. 1. *d*) Orosius. L. 1. c. 4. *e*) Diod. Sicul. L. 2. c. 6. Justinus. L. 1. c. 2. *f*) idem. ibid. Herodotus. L. 1. Diod. Sic. L. 2. c. 21.

transmittens, ignavi evaserunt; quorum nihil nisi incerta et mendosa nominum series apud *Eusebium* exstat, *) usque *Sardanapalum* a. M. 3157. *a*) qui neglectis regni curis, totum se feminarum moribus, et ipsi etiam earum voci imitandae impendit, passim ultimus Assyriae Monarcha dicitur, vir femina mollior, quem dum inter feminas muliebri veste indutum considentem, purpuramque ac lanam colo nentem *Arbaces* Mediae Praefectus conspexisset, rei indignitate commotus, cum *Belesi* Babyloniorum Praefecto bellum ei intulit, *b*) quo in periculo

*) Quidquid de Assyriorum Monarchis, allisque vetustis regnis exstant, ex Chronico *Eusébii* desumta sunt, qui in exordio sub finem ait: Annum ad annum comparabimus, ut sciamus quid memoriae dignum, et quibus annis gestum sit sive apud Hebraeos, sive apud Graecos, sive Barbaros, ceterasque gentes, quarum Historiographi memoriam fecerunt. Hic igitur ex *Ctesia* sequentem seriem Monarcharum Assyriorum a *Ninia* incipiendo exhibet; qui in coetu mulierum consenescens, in ea 32. Reges habuit imitatores, quo tempore Regni administratio Praefectis fuit concessa. *Ninias* regnavit 38. annis, usque annum M. 2076. *Arius* 30. reg. ad. 2106. *Aralius* 40. reg. ad 2146. *Xerses* seu *Balaeus* 30. reg. ad 2176. *Armamithres* 38. reg. ao 2214. *Belochus* 35. reg. ad 2249. *Balaeus* 52. reg. ad 2301. *Atladas* seu *Sethos* 32. reg. ad 2333. Mamythus. 30. reg. ad 2363. *Ascharius* 28. reg. ad 2391. *Sphaerus* 20. reg. ad 2421. *Mamylus* 30. reg. ad 2451. *Sparthaeus* 30. reg. ad 2481, *Ascatades* 40. reg ad 2521. *Amyntes* 45. reg. ad 2566. *Belochus* 25. reg. ad 2690. Hujus

H rex

a) Diod. sic. L. 2. c. 25. *b*) Strauchius. Brev. Chron. L. 4. c. 15. quaest. 4.

rex antea ignavissimus, contractis celeriter copiis, rebelles quidem ter profligavit; verum quarta pugna victus, quum in urbe obsideretur, in tantas angustias est redactus, ut rebus desperatis, se cum filiis, uxoribus, ac thesauris suis in regia in incendium miserit, *a*) a. M. 3178. Hinc filiam fuisse *Atossam* seu *Semiramidem* quae cum patrae 12 annos regnavit, et sub specie columbae a Syris culta fuit, sed hoc aliqui ad primam *Semiramidem* referunt. *Balatores* 30. reg. ad 2620. *Lamprides* 30. reg. ad 3651. *Sosares* 22. reg. ad 2671. *Lampares*. 30. reg. ad 2700. *Paryas* 45. reg. ad 2745. *Sosarmis* 19. reg. ad 2764. *Mitraeus*. 27. reg. ad 2791. *Theotamus* 32. reg. ad 2823. Hoc loco statuit *Usserius* cum multis recentioribus *Ninum* Beli filium. qui Assyriorum Imperium fundavit a. M. 2787. seu ante Ch. natum 1267. Ceterum successit *Tenteus*. 40. reg. ad 2863. *Thineus*. 30. reg ad 2893. *Dercylas*. 40. ad 2934. Hoc tempore ad a. M. 2830. *Usserius* in Chronologia, *Semiramidem Nini* uxorem toti Asiae imperasse scribit; sed *Usserii* rationes non id videntur evincere: de hac re vide *Musantium* Tabulis Chronologicis circa finem adnexam dissertationem pagina 407. seqq. — Ceterum successit *Eupales* 38. reg. ad 2971. *Laostenes*. 45. reg. ad 3016. *Pyritiades* 30. reg. ad 3046. *Ophracteus*. 20. reg. ad 3066. *Ophratanes* 50. reg. ad 3116. *Acracarnes* 41. reg. ad 3157. *Tonosconcoleros* seu *Sardanapalus*, quem *Arbaces* Medus profligavit ad a. M. 3178. Vide Chronicon *Eusebio-Hyeronimianum*. T. VIII. operum *S. Hyeronimi* Edit. Veronensis. 1740. quod veterum fragmentis notisque omnigena eruditione refertis ornavit Cl. *Dominicus Vallarsius*, cum Marchione *Scipione Maffejo*.

As-

a) *Anchiali* monumentum fuit Sardanapali, in quo lapidea erat imago hominis conserentis manus dexterae digitos, ac si crepitam digitis edere voluisset, cum hac incrriptione: *Sardanapalus Anchia-*

Assyriorum Monarchia ad Medos translata, vel juxta alios divisa fuit.

Arbaces igitur de *Sardanapalo* victoriam referens, regnum Medorum et Persarum aliaque tenuit. Post *Arbacem* apud Medos regnasse dicitur *Mandauces* 50. annis *Sosarmus* 30. annis. *Articas.* 50. *Arbianes* 22. sed omnia usque *Dejocem* sunt incerta, quem *Herodotus a*) e Judice, cujus aequitatem jam antea in judicando perspectam habuerunt, primum Regem electum fuisse putat: qui etiam Ecbatanam urbem condens, sede deinceps ibi posita, omnia per internuncios, ut major e longinquo reverentia habeatur, secum agi jussit. *Phraortes b*) Persas rebelles bello subegit, sed demum contra Assyrios pugnans victima cecidit. Cui filius *Cyaxares* succedens, *c*) dum patris mortem ulcisci vellet, Ninivenque obsideret, trepidis nunciis domum revocatur, qui *Madien* Scytharum regem in Mediam irrupisse afferebant: a quo etiam pugna victus, cum tota fere Asia superiore 28. annis Scythis servire cogitur, sed ubi eos partim do-

---

lem et Tarsum una die aedificavit: Tu autem hospes ede bibe, lude, cetera enim ne hujus sunt digna. Diod. Sic. L. 2. Athenaeus L. 12. Strabo. L. 14. ad quod Aristoteles inquit apud Ciceronem L. 5. Tuscul. quaest. *Quid aliud in bovis, non in regis sepulchro inscriberes.*

a) L. 1. Diod. Sicul. L. 2. c. 33. *b*) Herodot. L. 1. *c*) idem. ibid. Diod. Sic. Cyaxarem Artibarnam vocat. L. 2. c. 24. Biblioth. Hist.

lo inter epulas sustulisset, partim ex Media exturbasset, jugum excussit; imo *Nabucodonosoris* auxilio Niniven captam evertit; Assyriamque suo imperio, quae jam ad fluvium Halim pertingebat, feliciter adjecit. Idem cum *Alyate* Lydiae rege varia fortuna bellum gessit, quod dum in sextum annum jam protraheretur, repente Ecclypsi solis territi, utriusque partis milites a pugna destiterunt, paxque confecta est. Hujus successor fuit *Apandas*, quem Graeci *a*) *Astiagem* vocant, qui erat pater *Mandanis*, a qua natus est *Cyrus*. *Astiages* igitur paternis moribus alienus, luxui semet tradidit, suosque otio corrumpi passus est; quare *Cyrus* ejus nepos circa A. M. 3491. Persas ad defectionem sollicitavit, et brevi enato bello, victoque et comprehenso *Astiage*, Medorum imperium evertit, et Monarchiam Persicam condidit.

Belesus ut vidimus in divisione Monarchiae Assyriacae, regnum Assyriae et Babyloniae tenuit; post quem apud Assyrios duorum vel trium regum nomina silentur, moxque memoratur *Puhl* *b*) qui *Menahemum* regem Israelis in regno confirmavit. *Teglath Phalazar* Chaldaeos *c*) Babelem traduxit, urbemque neglectam instauravit; sub quo *Baladan* alias *Nabonassar* Babylonis Praefectus ab Assyriis deficiens se regem appellavit, a quo celeberrima Babyloniorum aera Nabo-

---

a) Diod. Sicul. L. 2. c. 34. ubi Astiagis res legantur. *b*) 4. Regum c. 15. v. 19. Joseph. antiq. L. 9. c. 11. *c*) Isaiae c. 23. v. 13.

bonassarea incipit, a. M. 3230. Ceterum *Teglathphalazar* ab *Achazo* Judaeorum rege in auxilium vocatus, non modo Damascum rege *Rezine* occiso cepit et evertit, *a*) sed etiam magnam Israelitici regni partem occupavit, et Judaeos sibi vectigales fecit. Successit ei *Salmanassar* qui dum Arbelitas rebelles composuisset, in Judaeam profectus, facile *Oseam* Israelis regem tributarium fecit; Azotum occupavit, parique felicitate cum *Elulaeo* Tyriorum rege bellum quinquennale gessit. *b*) Postea rebellem *Oseam*, qui cum Aegyptiorum rege conspiraverat aggressus, brevi eum captivum abduxit, a. M. 3276. et regnum Israeliticum exstinxit. *c*) Israelitas in Assyriam transferens, mox eorum socios Aegyptios gravi bello exercuit usque ad obitum. Cui successit *Sennacherib* filius, qui ut patris bellum persequeretur, recta via in Aegyptum contendit, inde in Judaeam arma vertit contra rebellem *Ezechiam* regem, ibique omnes munitas civitates cepit; *d*) sed demum ob impietatem 185. millibus una nocte per Angelum caesis ad Hyerosolymas inglorius domum redivit, ubi ira furens, dum in Subditos, praecipue vero in Israelitas saeviisset, a suis filiis in templo Dei sui interfectus est, *e*) cujus caedes maximae muta-

ta-

---

a) 4. Reg. c. 16. v. 7. et 9. *b*) Joseph. antiq. L. 9. c. 14. §. 2. *c*) 4. Reg. c. 17. v. 3—6. *d*) 4. Reg. c. 18. v. 13. seq. *e*) ibid. c. 19. v. 37. Joseph. antiq. L. 10. c. 1. Herodot. in Euterpe. L. 2.

tationi in oriente occasionem dedit. Turbatis ita Assyriorum rebus, primo Medi, dein etiam Babylonii in spem libertatis venientes defecerunt, sicque Assyriorum imperium per defectionem dissolutum est, a. M. 3323. nec tamen funditus deletum, nam *Sennacheribo* successit natu minor *Essarhaddon a*) qui dum Medos ad officium revocare intendisset, illi cum Babyloniis se in plenam libertatem asseruerunt. Qui tamen non multo post intestinis motibus et interregnis agitati, denuo ab *Essarhaddone* in imperium Assyriorum revocati sunt. Sub quo dein *Manasses* Judaeorum rex repente captus et Babylonem abductus est. Unde patet Babylonios denuo juris Assyriorum fuisse, donec *Nabopallasar* Praefectus deficiens, apud Babylonios imperium consecutus esset. *b*) Tandem *Essarhaddon* re utcunque restituta, cum Babelae 13. annos regnasset mortuus est, et reliquit successorem *Saosducheum* qui 20. quibus regnavit annis, continua ob Azotum gessit bella cum *Psammeticho* Aegyptiorum rege; *c*) hic alias *Nabuchodonosor* primus appellatur, cujus ducem *Holofernem Juditha* interfecit. Tandem moriens successorem habuit *Chiniladanum* seu *Saracum*, qui *Phraortem* Medorum regem devicit, sed a *Cyaxare* ejus filio victus regnoque exutus est. Sub hoc itaque imperium Assyricum finem accepit; et mox cum Babyloniis et Medis in potestatem *Cyri* venit.

Ba-

---

a) 4. Reg. a. 19. v. 37. *b*) Syncell. p. 210. *c*) Herodot L. 2. c. 157.

Babylonii etiam exemplum Medorum ut vidimus secuti, deficientes Regem sibi praefecerunt *Nabonassarem*, a quo aera Babyloniorum incipit, *a*) sed demum intestinis motibus vexati, ab Assyriis denuo oppressi sunt, donec *Nabopalassar* jugum excutiens Chaldaeorum et Babyloniorum imperium titulo regio consecutus est. *b*) Qui dum regno firmando intentus esset, Satrapa Aegyptios interea ad defectionem parans, omnes ejus conatus intervertit; *c*) quare contra eum mox filium suum *Nabuchodonosorem* a. M. 3377. expedivit, qui sequente anno *Nechonem* Aegypti Pharaonem insigni praelio ad Euphratem vicit, ac victore cum exercitu omnes ditiones pacavit; a qua victoria Judaei annum regiminis *Nabuchodonosoris* incipiunt. Interim in tam felici victoriarum cursu, audita patris morte avocatus, Babelem redivit; et paternum regnum obtinuit. *d*) Qui belli gloria omnibus Babyloniae regibus major, multas gentes vincendo peragravit; statimque altero regni anno coelesti signo viso animatus, *e*) in Moschos et Tibarenos, aliasque Septemtrionales gentes arma vertit. *Cyaxarem* medorum regem in expugnanda Ninive juvit. *f*) *Nechonem* Aegypti regem qui imperii sui fines jam ad Euphratem usque protulerat, ad Circasium Mesopotamiae oppidum vicit, et intra

Ae-

---

a) idem. L. 1. c. 95. et 130 *b*) Polyhistor. ap. Syncell. p. 210. *c*) Joseph. antiq. L. 10. c. 11. §. 1. *d*) ibid. Berosus. Item 4. Reg. c. 24. *e*) Danielis. c. 2. v. 3. seq. *f*) Herodot. L. 1. c. 106.

Aegyptum compulit, *a*) Judaeos una cum rege Babyloniam a. M. 3416. abduxit, patriaque penitus exuit. *b*) Syriam et Phoeniciam subegit; ubi Tyrum urbem 13. annis obsidens, tandem fuga incolarum vacuam deprehensam solo aequavit. *d*) Ex manubiis tot gentium, Babylonem amplificavit, et firmissimo muro cinxit. *Beli* templum ornavit, et spendidissimam sibi regiam condidit. Ad extremum ingentis superbiae paenas, septem annorum amentia et pecudum victu persolvit. *d*) ac tandem confessus veri Dei potentiam, in integrum restitutus est. Postea Aegyptiorum rege *Aprie* devicto, eique *Amasi* sibi tributario substituto, *e*) Africam usque ad Herculis columnas victor peragravit, ipsosque Medos et Persas in potestatem suam redegit. Ab his igitur victoriis clarus, anno regni sui 43. mortuus est. a. M. 3432. — Post quem principes luxuriosissimi flagitiis diffluebant, uti ejus filius *Evilmerodachus*, improba vita suis invisus, post duos annos ab affine suo *Neriglosore* captus est, *f*) et ipse solium ejus conscendens eo anno, quo *Astiage* mortuo, *Cyrus* Persarum regno potitus est; a quo etiam quarto regiminis et

---

a) 4. Reg. c. 24. v. 7. *b*) Ezechi. c. 17. v. 20. *c*) Philostrat. ap. Josephum contra Apion. c. 1. §. 21. *d*) Daniel. c. 4. v. 29. *e*) Ezech. c. 29. v. 18. 19. *f*) Berosus ap. Joseph. contra Apion. L. 1. §. 20. Megasthenes ap. Euseb. Praep. Evang. L. 9. c. 40.

et belli anno in praelio occisus fuit. *a*) Cui successit filius *Laborosoarchadus* perversis moribus praeditus adolescens, post novem menses facta in eum ab amicis conspiratione trucidatus est. *b*) Quibus in adjunctis communi voto in Regem electus est *Nabonidus* Babylonius, in S. Sacra *Belsasar* dictus, *Evilmerodachi* ex *Nitocride* filius *c*) alias etiam *Baltassar* vocatus, et regum Babyloniorum ultimus, *d*) cui *Daniel* occasione convivii, ignota manu scripta verba: *Mane*, *Thecel*, et *Phares* interpretatus est in proximam regni ruinam, et revera postquam 17. annis perpetuo cum Medis et Persis bello fatigatus regnum tenuisset, a *Darii Medii* seu *Cyaxaris* II. militibus, urbe capta inter epulas occisus est; *e*) a. M. 3456. post quem *Darius Medus* a numis Daricis in orbe celeberrimus, Babylonem duobus annis tenuit; cuique mortuo *Cyrus* Persa succedens, Babylonicae monachiae finem imposuit: A. M. 3458. *f*) de quo in Persicis rebus videbimus.

§. V. *Res Literia in Imperio Assyriaco Babylonio-Medico*-Chaldaei et Aegyptii primi As-

---

a) idem. ibid. et Xenophon. Cyropediae. L. 1. p. 22. et L. 3. p. 85. seqq. *b*) Euseb. Praep. Evang. L. 9. c. 41. Joseph. contra Apion. §. 19. 20. *c*) idem ibid. *d*) Joseph. antiq. L. 10. c. 11. §. 2. Daniel. c. 5. v. 1. *e*) idem. ibid. v. 30. Xenophon. Cyroped. L. 7. c. 5. num. 10. Herodot. L. 1. c. 191. *f*) Daniel. c. 10. v. 1. seqq. Xenophon. L. 8. p. 233.

Astrologiam homines docuerunt. *a*) *Plinius* enim ipsum *Nembrodum* seu *Belum b*) Sideralis scientiae inventorem facit; nec immerito *Nimbrodum* artium et scientiarum peritum credimus: nam idem author factus est ceteris ut coctis lateribus, collectoque bitumine, urbem, et summae altitudinis turrim excitarent, fortitudinis et prudentiae suae perenne monimentum. *Zoroaster* Bactrianorum rex a *Nino* domitus, dicitur primus Magicas artes invenisse, et Siderum motus curiosius spectasse; quem tamen alii multo posteriorem *Nino* fuisse volunt; unde etiam *Suidas* duos *Zoroastros* memorat, imo ut Historia docet: longe plures hoc nomine insigniti *c*) erant. Ceterum ipse *Abrahamus* Assyriis literarum elementis assvetus, dum ad Chananaeos accessit, etiam ibi ejus generis literis usus est, et earum usum neque posteri abjecerunt, donec in Chaldaea captivi primas Assyriacas literas resumpserunt. Apud Assyrios et Babylonios Chaldaei antiqui *d*) eum ordinem in republica tenuerunt, quem Sacerdotes Aegyptii, Deorum Cultui addicti; quorum munus erat per omne tempus vitae philosophari, praecipuamque gloriam ex Astrologia adipisci; unde etiam longe tardius Magorum unus *Alexandro* Babyloniam festinanti praedixit hunc ei locum fore fatalem, monens

ne

---

a) Clem. Alex. p. 306. *b*) L. 6. c. 26. *c*) Bruker Hist. Crit. Philosoph. T. 1. L. 11. c. 11. §. 9. seq. *d*) Diodor. L. 2. c. 29.

ne intraret; *a*) sed rex ab *Anaxarcho* Philosopho compulsus praedicta contemnere. Hanc Siderum et divinandi peritiam Assyrii propter planiciem magnitudinemque regionum *b*) quas incolebant, quum coelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum observaverunt; quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriae prodiderunt; et hi etiam Philosophiae apud barbaros praefuerunt. *c*) Nam *Strabo* *d*) ait: in Babylonia constitutam habitationem Philosophis indigenis, dictis Chaldaeis. Ex iis quosdam se genethliacos simulare, sed rejici a ceteris. Esse et aliam Chaldaeorum nationem, Babyloniaeque regionem ab illis habitatam, Arabibus marique Persico proximam. Hinc patet Chaldaeos seu Sapientes distinquendos esse a populo Chaldaico. Ceterum Assyrios et Chaldaeos etiam Architecturae et Mechanicae peritissimos fuisse, structae famosissimae Urbes Babylon et Ninive satis monstrant. Tardius, nempe *Alexandri M.* temporibus inclaruit celebris scriptor *Berosus* Babylonius.

Ca-

---

a) Cicero L. de divinitate. Horatius. L. 1. ode. 11. *b*) Clem. Alex. Strom. L. 1. p. 305. et Cicero. loc. cit. *c*) L. 16. p. 500. Plin. L. 2. c. 79. *d*) L. 1. fol. 24. quod Joachim Vadianus ibidem uberius interpretatur.

Caput V.

Historia Aegyptiorum.

§. 1. *Statistico Geographica notio regni.* Aegyptus a *Pomponio Mela a*) Asiae, a *Ptolomaeo* Africae tribuitur eo: quod in Asiae et Africae confinio sit. Antiqua haec regio prius vocabatur *Aëria* ob aeris serenitatem; culta autem primo fuit a *Misraim* filio *Chus*, Chami nepote, unde etiam Chamia aut Misraim, prout ab Arabibus hodie etiam *Mesre* dicitur. Terminos habet ab occidente ultra Nilum, deserta Barcae, Numidiae, et Nubiam. Ab austro agrum Bugiensem et Nilum, *Plinius* eam finit Syene urbe *b*) seu Asna. Ab ortu deserta Arabiae, a Septemtrione mare mediterraneum. De hujus terrae fertilitate multa sunt scriptorum elogia; hic enim legumina tertio die nasci *Plinius c*) docet, nec citius alibi maturescere fruges; praeterea omni mense fieri sationem; quare a veteribus publicum orbis horreum Aegyptum nominatam fuisse constat; imo et foeminae foecundae septenos gignunt: efficitque Nilus ut hominum, aliorumque Animalium per foecunda generatrix sit: nec desunt pascua laetissima, oleo tamen ut plurimum caret, raraque ligna nascuntur; arietes ut et boves nigra lana vestiuntur. Floruit olim Ae-

---

a) L. 5 9. *b*) idem. L. 18. Strabo. L. 15. Plinius L. 7. c. 3. Diod. L. 1. c. 80. *c*) Herodot. in Thalia. L. 3.

Aegyptus sub variis Regibus, qui primo *Pharaones*, demum *Ptolomaei* vocabantur usque ad Romanorum Imperium, quo desolato Aegyptus pervenit ad Arabiae felicis Agarenos, quorum Princeps *Sultanus* vocabatur, unde et sequentes *Sultani* sunt vocati. Regio haec occupata fuit a *Cambyse*, *a*) *Artaxerxe b*) *Ocho*,, *c*) Mamelu-chis *d*) Saracenis *e*) *Alexandro M.* a quo etiam divisa fuit in Nomos sive oppidorum Praefecturas, quales *Herodotus* ponit 18. *Ptolomaeus* 46. *Plinius* 50. probabilius una praefectura plura nomina habere potuit. Regnarunt ibi plures Sultani donec a Turcis expugnati erant; hodie *Sultanus* Turcarum Imperator,totam Aegyptum possidet, et per *Basas* gubernat. *Leo Africanus* dicit eam, ut a Mahometanis occupata est, divisam fuisse in tres provincias, nempe I. *Sahid* quae est superior seu Thebais, a finibus Bugiae usque ad Cairum. II. *Errisiam* seu occidentalem partem a Cairo usque ad Rosettum. III. *Maremmam*, quae est pars orientalis. Urbes sub *Amasi* rege dicuntur fuisse 20. mille. *Diodorus* suo tempore tria millia superfuisse dicit; quarum celeberrimae erant, *Syene*, *Thebae* seu *Diospolis*, *Tentyra*, *He-*

a) Thucydides. L. 1. Diod. Sicul. L. 11. c. 71—77. *b*) idem L. 16. c. 46. seqq. *c*) Guil. Tyrius L. 21. c. 23. Jo. Hen. Hottinger. Hist. Eccl. c. 13. Sect. 2. p. 408. *d*) Elmacinus L. 1. c. 3. Guil. Tyrius L. 17. c. 9. 10. 11. Lib. 18. c. 12. 13. 21. *e*) Diod. Sicul. L. 17. c. 49. Curtius. L. 4. c. 7. Arrianus. L. 3. Plutaachus in Alexand.

Heliopolis, *Memphis*, *Babylon*, *Alexandria*, *Pelusium.* — *Thebe* condita est a *Busiride* rege, teste *Plinio a*) a centum portarum fama nobilis, habet Nilo proximum emporium, item publica privataque aedificia, sed vetustate jam collapsa. *Heliopolis* olim Sacerdotum habitatio; quam urbem *Strabo* hominum Astronomiae et Philosophiae deditorum mansionem appellat. *Memphis* olim *Arsinoe* regia urbs, ubi Nilus primam incipit divisionem, hodie *Cairum* vocant, estque triangulari forma exstructa, ambitu plusquam octo milliarium. Incolunt Turcae, Aegytii, Arabes, Hebraei, et alii. Supra Cairum ponitur *Babylon*, ubi splendidorum aedificiorum ruinae visuntur; et hodie Christianorum pagus est. *Alexandria* ab *Alexandro M.* condita in extremitate maris Mediterranei, hodie etiam amplissimum emporium habet, quam Turcae *Scanderiam* vocant. *Pelusium* hodie *Damiata* urbs potens, portu et navium frequentia celebris. Foecundat Aegyptum non aqua coelestis, quae praecipue in superiore nunquam cadunt, sed orbis celeberrimus fluvius Nilus, qui statis Aethiopiae fluviis auctus per aestatem exundat, et circumjacentes agros septem suis ramis rigat; solaeque urbes ac vici, instar insularum hinc inde visuntur et caput extollunt. Justum fluvii incrementum 15. ulnae metiuntur; et si has multum excedat, sementem moratur et stagna multa facit: si

---

a) L. 5.

si parum sit, terram relinquit sitientem, et famem inhabitatoribus adfert. Hujus incrementi causam triplicem statuunt; *a*) Unam Aegyptiae terrae adscribunt, quae ex se se aquam producit. Alteram Oceano, ex quo inundationis tempore aqua in Aegyptum exaestuat. Tertiam imbribus, qui per id tempus quo intumescit Nilus ad austrinas Aethiopiae partes contingunt, ubi continuis sex mensibus pluviae sunt. Quare *Moeris* rex ut tantis damnis occurreret, fossam ex Nilo, ad vastum et profundum lacum, (qui etiam Moeridis lacus vocatur *b*) duxit, *c*) et cataractas in eo fecit, quibus ut res poscebat apertis aut clausis, inundatio minui aut augeri possit. Interim dubium manebit, rex ne nomen suum lacui, vel lacus regi nomen dederit. Aegyptii multum de antiquitate cum Scythis *d*) contendebant; alii autem Phryges longe vetustiores esse dicebant; ideo *Psammetichus* rex, ut contentionibus finem faceret, duos infantes pastori educandos tradidit ea conditione, ne verbum quidem coram ipsis quisquam proferret; qui in casa solitaria educati lacte caprino ad bimatum usque; contigitque: ut dum pastor januam aperiret; ambo infantes porrectis manibus procidentes *Beccus* clamaverint; quae vox Phrygica linqua *panem* significat. *e*) Atque hoc indicio Phrygibus

---

a) Horus. L. 4. c. 21. *b*) Diodorus L. 2. *c*) Pomponius. Mela. L. 1. fol. 30. habet: Moeris aliquando campus nunc lacus viginti millia passuum in circuitu patens, etc. *d*) Justin. L. 2. *e*) Pomp. Me-

gibus Aegyptii ut prioribus cesserunt; quoniam ridiculo hocce argumento viderent inanem fuisse omnem praetensionem. Hinc omnis natio, quae traditioni superaedificat gloriam suam, facile refutatur, quia quam parum infans suam nativitatem enarrare noscit; ita parum sperandum est, ut genus humanum de sui creatione, de inventione primae linguae, aut de primis sedibus, historico Criticas praestet relationes. Similiter fabulis jactatum est: *Hermen a*) hoc est: interpretum disciplinas apud Aegyptios artesque reperisse: *Josepho* enim Aegyptiorum sapientia debetur. Duravit Regnum Aegyptiorum secundum *Usserium* 1663. annos integros, quibus evolutis, a *Cambyse* Persa circa a. M. 3479. subjugatum est.

II. §. *Status Religionis, et Consvetudinis.* Vetustissimi in Aegypto mortales, plura et diversa Numina coluerunt, exstititque Aegyptus falsae religionis ac superstitionis mater. Crediderunt autem ante omnia Solem, et lunam, *b*) Sol erat signum *Osiridis*, et hujus uxoris *Isidis* luna, *c*) crediderunt enim *Osiridem* initio statim regni, Aegyptios, inopi et belluina victus ratione sol-

la L. 1. fol. 33. in expositione. Unde Claudianus L. 2. contra Eutropium ait: Dat cuncta vetustas Principium Phrygibus. Nec rex Aegyptus ultra restitit, humani postquam puer uberis expers in Phrygiam primum laxavit murmura vocem.

a) Diod. Sic. L. 1. Psalm. 105. v. 7. *b*) Macrobius Saturn. L. c. 17. *c*) idem L. 1. c. 21.

solvisse, fruges iis ostendendo, aratra inducendo, leges ponendo, Deorum cultum praecipiendo, homines mansvetos reddidisse non armorum usu, sed plerosque persvadendo ac docendo. *a*) *Plutarchus* autem de varietate eorum Deorum dicit: Aegyptiorum plerique colentes ipsa animalia, et tractantes tamquam Deos. *b*) Praecipue autem coluerunt duos boves *Mnevim* et *Apim*, quorum exemplo Israelitae in deserto coluerunt vitulum. Signanter *Apis* in Memphi, *Mnevis* in Heliopoli Dii erant, *c*) quorum imaginem plerique sacerdotum Aegyptiorum habuerunt. Boves mares ac vitulos universi Aegyptii teste *Herodoto d*) immolant, at feminas iis immolare non licet, utpote *Isidi* consecratas. *Apim* Deum *Mela* sic describit: *e*) *Apis* populorum omnium numen est, Bos niger, certis maculis insignis, et cauda linguaque dissimilis aliorum, raro nascitur, nec coitu pecoris ut ajunt, sed divinitus, et coelesti igne conceptus, diesque quo gignitur genti maxime festus est. Coluerunt etiam lupos ob affinitatem cum canibus, prouti et alia animalia ob utilitatem, *f*) alia ob metum, ne iis nocere velint, uti Crocodilos, quibus Magi asveti, eos inclamare, et hi ipsorum voces agnosce-

a) Plutarch. de Isid. et Osir. *b*) idem. ibid. *c*) Strabo p. 607. *d*) L. 2. c. 41. Macrobius. L. 1. c. 7. *e*) L. 1. fol. 33. *f*) Diodor. L. 1. c. 83. 84. 88. Plin. L. 10. c. 28. Cicero L. 1. de Nat. Deor. Juvenalis. Saty. 15.

re soliti sunt. *a*) Id unicum mirum videri potest, quod saepe duo vicina loca, mutuo sibi inimica animalia, uti: cattum et murem coluerint; unde maximae, turbae saepe enatae sunt. Quibus diis templa et aras etiam posuerunt *b*) cum servitio sacrificulorum. Crediderunt porro et immortalitatem animae per transmigrationem, quasi *c*) de corpore in corpus, uti: terreste, marinum, volucre immigrent, donec in humanum redeant; circuitu intra annorum tria millia absolvendo. Crediderunt et vitam aetaernam, *Diodorus d*) enim testatur Aegyptios rogare Deos infernos, ut mortui recipiantur in contubernium piorum. Hodie in Aegypto Mahometana religio dominatur. — *Consvetudines* speciales erant, uti: virilia circumcidere *e*) puritatis causa. Festus dies lucernarum noctu accensis candelis celebrabatur, *f*) probabilius a nocturnis primogenitorum caede sub *Mose*. Praeterea summum odium in mare habuerunt, probabilius in acerbam submersi Pharaonis cum exercitu recordationem. *g*) Sues adeo despectui habent, ut siquis vel transeundo attingat, mox cum ipsis vestimentis ad flumen lotum abeat; ideo Subulci in contemtu sunt. Plures uxores ducunt, soli Magi una contenti.

---

a) Plutarch. de prudent. animal. *b*) Herodot. L. 2. c. 4. *c*) Herodot. L. 2. c. 123. *d*) L. 1. c. 92. 93. *e*) Herodot. L. 2. c. 37. hinc ambigue disputat Spencer. L. 1. de leg. Hebr. c. 4. §. 4. Num circumcisio Aegyptiorum sit Abrahamitica antiquior. *f*) Herodot. L. 2. c. 62. *g*) Plutarch. L. de Isid.

Lutum inter manus, farinam calcibus subigunt, *a*) forum et negotia feminae, Domos viri curant, unde virorum effeminatus animus patet. Educatio puerorum erat frugalis, cibi dabantur viles et obvii, calcei nulli, vestes rarae ob commodam locorum temperiem. *b*) Neque mulieres calcaeis utebantur, ut meminissent domi tempus esse transigendum. Domicilia viventium diversoria vocant, eo: quod illa tantum ad tempus incolamus: defunctorum vero sepulchra, domos aeternas ajunt; et ideo de structura domorum parum sunt soliciti; in adorandis autem sepulchris nihil omittunt. *c*) Usum auri et argenti jam olim habebant; *d*) Israelitis enim plurima vasa aurea et argentea mutuo dederunt. Inter haec nsigne ad temperantiam exemplum praebuerunt; quod in conviviis loculum seu tumbam, in qua mortui imago, aut ipsum cadaver exanime jacebat, circumferre consveverint, et in consortio cuivis exhibuerint, his verbis prolat s: bibite et estote jucundi! sic enim et vobis post mortem erit. *e*)

§, III. *Status Politicus et forma Regiminis.* Aegyptiorum regnum institutum est a. M. 1816. circa quod tempus *Misraim Chami* filius colonias in Aegyptum duxit. Primus rex erat *Menes f*) cujus posteriores Reges, *Pharaones* vo-

---

a) Mela L. 1. fol. 32. *b*) Diodor. L. 1. c. 8. *c*) Diod. L. 1. c. 51. *d*) Exod. c. 12. v. 35. 36. Diodor. L. 1. c. 15. *e*) Herodot. L. 2. c. 78. *f*) Herodot. L. 2. c. 4. et 99. Diod. Sic. L. 1. c. 35.

cabantur. *a*) Post mortem *Menis* regnum divisum est in quatuor regna *b*) uti Thebanum, Thinitanum, Memphitanum, et Inferioris Aegypti. In regno Thebano regia sedes erat Thebae, et numeravit 60. reges, *) quorum ultimus fuit *Thuoris*, post cujus mortem Aegyptus inter regulos divisa est. Alterius Regni Thinitani caput erat *This* urbs ad Lybicam Nili ripam, quorum primus rex erat *Cencemes* **) ultimus autem *Necherophes*, post cujus obitum an. period. Jul. 2963. regnum Thebanum et Thinitanum in unum coaluit. Regnum Memphitanum, ab urbe *Memphim* dictum, in superiori Aegypto floruit sub 22. regibus, *Nitocris* femina erat ultima ***) post cujus mortem coaluit cum regno Thebano. Quartum denique regnum inferioris Aegypti habuit sedem Imperi *Heliopolim*; quod regnum ****) circa an. Per. Jul. 3070. Arabes Pastores reges usurparunt *****) et *Thanim* imperii Metropolim statuerunt, quorum reges dein Thinitae dicti sunt, qui an. per Jul. 3503. debellati sponte ab Aegypto recesserunt, sed denuo redeuntes, post 13. annos iterum expulsi erant, postquam ibidem insimul 511. annis regnassent. Atque sic circa an. Per. Jul. 3940. Aegyptus inter Regulos divisa est; quales ad semel etiam 12. erant, quos omnes an. per. Jul. 3971. *Psammetichus* bello superavit; et Aegyptus uni sceptro raddita potentior evasit. ******) Tandem sub

Psa-

---

a) Joseph. Antiq. L. 8. c. 2. *b*) Syncell. p. 91.

Psammenito rege, potestatem regiam in Aegypto *Cambyses* Persa sustulit, et in suam potestatem redegit. Inter hos reges Aegyptiorum, etiam feminae regnarunt, et Reginis plus potestatis et honoris quam Regibus datum esse *Diodorus a*) testatur.

*) Juxta *Petavium.* Ration. Tem. T. 3. p. 12. Reges *Thebani* erant: Menes, Athotes, Athotes II. Diabies, Pemphos, Toegar Amachus Monachiri. Stoechus, Gosormies, Mares, Aniophes, Sirius, Chnubus Gneurus, Ravosis, Biyris, Saophis, Moscheris, Musthis, Pammus Archondes, Apappus Maximus, Agheseus, Ocaras, Nitocris, Myrtaeus, Thiosimaresis, Thimillus, Semphucrates, Chuter Taurus, Meuros, Choma Ephtha, Anchunius Ochy, Penthe Athyris, Stamenemes, Sistosichermes, Maris, Siphoas, Phruron, Amuthantaeus, Amosis, Chebron, Amenophis, Amesses, Mephres, Mysphragmuthosis, Thummofis, Amoenophis, Orus, Achenchres, Ratothis, Achencheres, Achencheres II. Armais, Ramesses, Ramesses Miamun, Amenophis, Sethosis seu Sesostris vel Sesac, Rhamses, Amephis, seu Memnon, Ramesses, Ammenemes, Thuoris.

**) *Reges Thinitae.* Cencemes, Venepher, Usaphaedus, Miebidus, Semempsis, Bienaches, Bochus, Cabachos, Binochris, Tlas, Sethenes, Chaeres, Nephaerchaeres, Sesochris, Cheneres, Necherophes.

***) *Reges Memphitae.* Tosorthrus idem cum Athote, Tyris, Mesochris, Soiphis, Tosertasis, Achis Siphuris, Cerpheres, Soris, Suphis, Suphis II. Mencheres, Rathescs, Bicheres, Seber Cheres, Thamphthis, Othoes, Phius, Mtusuphis, Phiops, Mente Suphis, Nitochris mulier.

****)

---

a) L. 1. Syncell. p. 54.

Ex his patet: Aegyptios regibus jam ab initio paruisse, quorum potestas variis legibus fuit circumscripta, vigebat enim lex, qua judices juramento a rege obstricti vetabantur regiam exequi sententiam, injusta petentem. Judices olim erant sacerdotes, habebantque jus in omnes statuendi, Judicum princeps erat natu maximus regis filius et successor throni, qui debuit esse justissimus et sincerissimus, qui etiam in collo gestabat imaginem veritatis nomine insignitam, *a*) qui in judiciis, oculos in terram dejiciens, significavit justitiam donis et alloquiis non esse obnoxiam. Tales successores regum a sacerdotibus educabantur, neque licuit eis loqui cum exteris

****) *Reges Inferioris Aegypti.* Curudes, Aristarchus, Spanius. —— Seraphis, Sesonchosis, Amenemes, Amasis, Acesephtres, Achoreus, Armiyses, Chamois, Amesisses. — Use, Ramesses, Ramessomenes.

*****) *Reges Pastores.* Salatis, Beon, Apachnas, Apophis, Janias, Assis, Smedes, Psusenes, Nephelcheres, Amenophtis, Osocher, Pinaches, Susennes, Petubates, Osorcho, Psammus, Zet.

******) *Reguli.* Stephanatis, Necepsos, Nechus, Sesonchris, Asorthon, Tacellothis, Tnephaetos Assichis, Bochoris Anysis, Sabbacon seu Segor. *Reges* item: Anysis, Thementes, Psammitichus, Psammiticho successerunt: Nechos, Psammis, Apries, Partamis seu Amasis, Psammenitus, postquem adhuc reguli recensentur, Inaris, Achoris, Tachos seu Taos, Nectanebus. ——

---

a) Aelianus. Hist. var. L. 14. c. 34.

teris hominibus sine consensu Judicum. Reges ex praescripto sacrarum literarum certis cibis et distinctis utebantur. Omni die ad templum Isidis ire debebant; ubi summus sacerdos sermonem habuit de regiis virtutibus; quibus instructus esse debeat omnis rex. — Leges Aegyptiorum erant optimae, quia tendebant in emolumentum populi, industriam omnium promovendam, et vitiorum exstirpationem. Lex fundamentalis erat I. Divisio populi in certas classes, quam divisionem *Sessostris* *a*) instituit in sex Classes, uti in Sacerdotes, Milites, Agricolas, Nautas, Artifices et Pastores. *Sacerdotes* Sacra munia, Judicia, Philosophiam, et Astronomiam exercere, et cum regibus conversari debebant, (*b* quare etiam Sacerdotii participes erant reges. Altera classis erat Militum, ad quam seligebantur robustiores et feracissimi viri, quibus agri et uxores dabantur, ut reditibus instructi, nulla re indigerent, sed bellicis negotiis exercerentur: *c*) hoc reges probabilius ideo constituerunt, ut ea ratione dupplo dulciorem iis redderent patriam, omnes calamitates pro ea promti sufferent, utque pro agris, uxoribus et prolibus fortissime decertarent. Artificum et Pastorum Classes contemtae erant II. Homicidium morte puniebatur; si tamen parens per imprudentiam prolem occidisset, eam mortuam triduo publice in ulnis

a) Aristoteles. L. 7. de rep. c. 10. *b*) Strabo. L. 17. p. 580—611. et Plato in Timaeo, T. 3. p. 24. *c*) Diodor. L. 1. c. 54.

ulnis servare debebat; nam ipsa natura hominibus poenae loco pudorem dictavit. III. Quivis Aegyptum inhabitans apud Magistratum quot annis fateri debuit modum, quo vitae *a*) media sibi procuret; per quam legem otium e regno eliminabatur. IV. statutum erat: ut debitor, patris sui defuncti corpus creditoribus oppignorare debeat, quod si vivus non redemisset, mortuus honesta sepultura careat; quae lex securitatem creditoribus, industriam vero debitoribus procuravit. V. Ut Corpus cujusvis defuncti ad locum publicum deferatur, et si testibus fidedignis constitit vitam ejus probam fuisse, tunc ei honesta sepultura concedatur, secus improbus deprehensus, ejus corpus insepultum abjiciatur; quae poena apud Aegyptios gravissima erat, quoniam crediderint eousque animam inhabitare corpus, donec illud incorruptum sit: cui judicio etiam Reges subjecti erant. Quod politicum et efficax medium, reges ipsos in freno servandi aptum erat; omnes enim homines, e quorum pectoribus nobilis sensus non eviluit, conabantur vitam probam ducere; omnis enim parens desiderat, ut post sui mortem; ejus proles ne cum erubescentia patris nomen enunciare debeant. Ceterum Regnum Aegyptiacum a *Cambyse* Persa eversum, deinceps per Praefectos gubernabatur; et licet saepius rebellaverint, semper tamen iis subjecti manserunt usque ad *Alexandri* M. tempora; cujus

---

a) Herodott. L. 2. c. 177. sub Amase rege.

jus imperium sponte acceptarunt. Sed post *Alexandri* M. obitum, denuo Aegyptiorum Regnum, *Ptolomaei Lagidae* virtute *a*) fundatum ad posteros ejus, eodem *Ptolomaei* nomine insignitos transivit; regnaruntque 14. Ptolomaei usque *Cleopatram*, cujus amoribus irretitus *b*) *Antonius*, exorto hinc bello civili, tandem ad *Actium* ab *Augusto* victus, *c*) a. ante Ch. 32 in Romanorum potestatem venit Aegyptus, quam *Heraclius* a. Ch. 634. Saracenorum bellis agitatus *d*) amisit; ac Saracenorum regno circa a. 812. diviso; Califa Saracenorum Aegyptum obtinuit. Demum *Norradinus* a. Ch. 2169. fratri *Siracono* subjecit; ac sequente anno tota Aegypto *Saladinus* potitus est. *e*) Tandem Mameluchorum in Aegypto regnum destruxit *Selimus* Turcarum Imperator a. 1516. et sequente, *Tomumbejo* ultimo Principe ad portas Cairi Urbis suspenso. *f*) Et hodie etiam in potestate Turcorum existens, per *Basas* gubernatur.

§. IV. *Status Belli, et memoria Principum Virorum.* Antiquissima Aegyptiorum Historia est obscura, nam tabulae *Manethonis* ex quibus ea deducuntur; in pluribus confictae, ad augendam Ae-

---

a) Curtius. L. 9. c. 6. Justin. L. 12. c. 10. et L. 13. c. 4. *b*) Livius Epit. L. 130. 132. Appianus. L. 5. Florus. L. 4. c. 11. Dio Cass. L. 49. *c*) Plutarch. in Anton. Dio Cass. L. 50. *d*) Georg. Elmacinus L. 2. c. 6. Joh. Henr. Hottinger Hist. Eccl. sect. 9. c. 2. *e*) Guil. Tyrius. L. 20. c. 12. *f*) Leonclavius. L. 17. Hist. Musulman. Paulus Jovius. L. 17. 18. in Comment. rer. Tarcicar.

Aegyptiorum antiquitatem excogitatae sunt; sicut et alii Sacerdotes Aegyptii multa *Herodotum* celarunt, quae Genti suae ignominiosa videbantur. *a*) Ceterum Aegyptus non multo post dispersionem Babylonicam inhabitatores accepit, quos eo deduxerat *Chami* filius *Mizraim* a. M. 1816. qui etiam primus rex et Legislator sub nomine *Menes* erat; quive toti Aegypto imperabat, *b*) post ejus mortem regnum quadrifariam ut vidimus divisum est; maximum tamen principatum Arabes Pastores per ducentos et amplius annos obtinuerunt; sed tam horum, quam aliorum Historiam licentia fabulosa corrupit. *c*) Inter primos reges memorabiles sunt: *Osymandias* cujus tempus est incertum, Regiam exstruxit, et in ea Bibliothecam *remedium animae* inscripsit; cujus sepulchrum pretiosissimum celebratur. *d*) *Amosis* qui *Josephum* ob interpretationem somnii et conservationem regni, Pro Regis dignitate *e*) honoravit, et Israelitas in Aegyptum vocavit; a cujus aetate *Josephus* 80. annis sub variis regibus Praefecturam suam cum gloria tenuit, usque a. M. 2369. *f*) *Mesphramuthosis* sub quo *Moses* natus, Judaeos masculos qui nascerentur necari jussit, *g*) a multis *Bu-*

---

a) Conring. advers. Chron. c. 17. *b*) Herodot. L. 1. c. 4. et 99. Diodor. Sicul. L. 1. c. 35. *c*) Joseph. L. 1. contra Apion. Eusebius in Chronico. *d*) Diodor. Sic. L. 1. c. 47. Imandes. L. 17. p. 621. *e*) Eusebius ex Manethone Sebennyta refert. *f*) Gen. c. 50. v. 25. *g*) Exodi c. 1. v. 22.

Busiris appellatur. *Orus*, Israelitas persequendo in mari rubro submersus. Inter cujus successores celeberrimus erat *Sesostris* seu *Sesak* qui a. M. 2874. regnante *Roboamo a*) Urbem Hierosolymorum cepit, omnesque Urbis et templi thesauros secum in Aegyptum abduxit. Hic a bellicis factis celebratissimus, erga devictos populos moderatus, modo annua munera exigebat; ceterum fastuosi animi signum satis ostendit inscriptio: *b*) *Hanc provinciam armis suis devicit Rex Regum et Dominus Dominantium Sesoosis*: qui victricibus armis majorem Asiae et Africae partem subigendo, fastu tumens, illustre superbiae suae specimen edidit: nam teste *Plinio c*) singulis annis solitus erat e regibus subjectis quatuor currui injungere et sic triumphare: quem tamen brevi resipuisse dicunt; dum insigni quodam festo a regibus publice traheretur, unus ex iis rotam currus respiciendo consideraret, facti causam interrogavit; cui rex subjectus reposuit: se in rota currus, vicissitudines humanas deprehendere, cujus suprema pars mox infimum capit locum. Quo dicto parabolam intelligens *Sesostris*, mox lege sanxit, ne porro Reges currum traherent. *d*) Ex bello reversus, milites fortes praemiis cumulavit; oppida in humiliori loco sita aggeribus munivit; Orientalem

Ae--

---

a) 3. Reg. c. 14. v. 25. *b*) Diodor. Sic. L. 1. c. 55. *c*) L. 33. c. 3. *d*) Diodor. Sic. L. 1. c. 58. Paul. Diac. L. 17. c. 31.

Aegypti partem contra Arabum irruptiones muro vallavit; mercibus vero deducendis opportunas et multas ex amne fossas ad mare fecit, *a*) uti et navigium cedrinum 280. cubitis longum, extus auro, intrinsecus argento obductum, Thebanorum Deo dedicavit. Duos item obeliscos *b*) e duro lapide 120. cubitorum altitudine, quibus potentiae magnitudinem, et vectigalium copiam. nationumque debellatarum numerum inscripsit, Tantis igitur moliminibus occupatus *Sesostris*, domi fratrem *Armaim* cuncta pro libidine agentem oppressurus dum reverteretur, interea *Armais* fratris vindictam vitaturus, ex Aegypto excedens, nomine *Danai* in Graeciam venit. *c*) Ipse vero *Sesostris*, omnium civium admirationem meritus, anno regiminis 33. obiit. *d*)

Certiores Aegyptiorum Reges Epocham incipiunt ab *Selbacone e*) et *Sethone*, qui in Sacris literis *f*) *Sua* dicitur; qui bello cum *Salmanassare* Assyriorum rege in causa *Ahas* regis Juda gesto inclaruit; post quem duodecim principes turbatis Aegyptiorum rebus in totidem provincias regnum diviserunt, inter quos *Psammetichus* celeberrimus evasit a. ante Ch. 670. a quo Aegyptiorum res magis dilucescere coeperunt; quoniam enim ei loca maritima contigissent, mox Aegyptum exteris ad mercaturam aperiendo, brevi

---

a) Diodor. L. 1. c. 57. Herodot. L. 2. c. 18. *b*) Diodor. L. 1. c. 57. *c*) Joseph. L. 1. contra Apion. *d*) Diodor. L. 1. c. 58. *e*) Herodot. L. 2. c. 137. *f*) 1. Reg. c. 17. v. 4.

vi commerciis se tantopere ditavit, ut invidiam aliorum incurreret, cum quibus etiam bellum ea imprimis causa gessit, quod intelligerent ex oraculo, eum toto regno potiturum, qui primus *Neptuno* libaret: quare dum Principes sacrificarent, eique fiala excessisset, is arrepta galea libavit; qua re ceteri offensi, bellum contra eum decreverunt. At ex alio oraculo iterum intellexit se aeneos homines in auxilium accepturum; et revera Graecorum ac Arabum ope brevi omnes devicit, *a*) Azotumque civitatem 29. annis *b*) obsessam capiens, tandem totius Aegypti Dominus factus est. Quo tempore varia Graecis contulit beneficia. Scythas ab Asiae populationibus in regnum irruentes donis removit; sed in ultima expeditione sua, quum mercenariis militibus quos magno alebat numero, dexteram in acie alam, suis vero sinistram concessisset, maximam domesticorum partem amisit; nam milites Aegyptii ad 200. millia in Aethiopiam demigrarunt; ex qua sua ambitione sero aliquid discere potuit. Successit ei filius *Necus* *c*) juxta scripturam S. *Nechao* qui frustra maris rubri et mediterranei conjunctionem *d*) tentavit; Phoenices tamen primus Africam circum navigare jussit, *e*) sed a *Nabuchodonosore* victus *f*) in angustio-

---

a) Diodor. Sic. L. 1. p. 42. 43. *b*) Herodot. L. 2. c. 157. *c*) 4. Reg. c. 23. v. 29. Herodot. L. 2. *d*) Herodot. L. 2. Strabo. L. 17. §. ult. *e*) Herodot. in Melpomene. *f*) idem. L. II. c. 159. et 4. Reg. c. 24. v. 7. *Josephus.* L. 10. c. 7.

stiores limites redactus est, et post annos 16. obiit. Cujus successor erat *Psammis*, quem ab Aethiopica expeditione revertentem post sex annos excepit filius *Apries a*) ab *Jeremia* vocatus *Ephree*, *b*) qui dum de Cypriis et Phoenicibus victoriam reportasset, elato animo dicere ausus est: se ne quidem a Diis solio dejici posse; verum brevi a solo *Nabuchodonosore* totum regnum devastari, solium exagitari, imo se ex eo, dejici advertens, tanto acerbius tulit, quod et ipse, manu amici perire debuerit; quum enim contra Cyrenaeos copias duxisset, stragemque accepisset, milites ejus putabant se consulto hostibus objectos fuisse, ideo seditionem movebant, ad quos sopiendos familiaris ejus *Amasis* missus, sive metu ne exacerbatorum animos amplius concitaret, sive spe consequendae regiae dignitatis, se rebellibus associavit; ac tandem rege furore populi occiso, mox *Amasis* rex creatus est, *c*) quem egregiae dotes, e simplici milite in ducem, dein Ministrum, ac tandem in regem provexerunt; qui tamen quod vilioris stemmatis esset, passim a populo praejudiciose contemtus, ut hanc Aegyptiorum opinionem confutaret; *d*) pelvim auream antea pro sorditie destinatam, Aegyptiis ad aram adorandam proposuit; quod facile efficere poterat, quoniam apud eos Sacerdotalis dignitas cum regali erat conjuncta; quo suo

---

a) Diodor. Sic. L. 1. c. 68. *b*) Jeremiae. c. 44. v. 30. *c*) Diodor. Sic. L. 1. c. 95. Herodot. L. 1. c. 160. 161. seqq. *d*) Herodot. L. 2. c. 172.

suo facto ostendit *Amasis*, non externam formam, sed potius internas virtutes esse considerandas; quo facto Aegyptii a vilipensione cessantes, Eum deinceps ut praesentem summum Principem venerati sunt. Verum dum filiam suam, *Cambysi* Persarum regi in concubinam cedere nollet, eum adeo vehementer in se concitavit, ut inde atrox bellum erumperet, quod tamen moriendo evasit; ast ejus filius *Psammenitus* evitare non potuit, qui venienti *Cambysi* cum valido exercitu obviam procedens ad Pelusium decretoria pugna conflixit, ubi et ipse Rex *Psammenitus*, victima superstitionis cecidit; quum enim hostis advertisset, Cattos et Canes eorum Deos esse, mox inter Aegyptios milites, canes et cattos dimiserunt; qui hos conspicientes, tamquam proprios Deos conservare et intercipere potius, seque hostium furori objicere conabantur; ubi ipse rex captus, dum tardius res novas moliretur, etiam occisus est. *a*) De hac clade *Herodotus* dicit: se post 100. annos, multa monumenta ad Pelusium deprehendisse; prout et capita mortuorum militum; et quidem Aegyptiorum crania tam dura fuisse, ut nonnisi magno labore confringi potuerint; Persarum vero leni etiam pressioni cessisse. Causa rei, in Nationali educatione sita esse videtur, nam solem perpendicularem, aestumque Africanum ab infantia nudo capite excipit Aegyptiacus; Persa vero mitra ab infantia tectus

---

a) Herodot. L. 3. c. 1. et 2.

ctus, minimae etiam etiam aeris mutationi exponitur. Ceterum Aegyptus per cladem Pelusianam, in Persarum potestatem devenit; a. ante Ch. 525. quorum jugum cives tanto acerbius ferebant, quo nationalis eorum religio a *Cambyse* ejusque successoribus turbaretur. Atque haec erat causa, cur tot rebelliones *a*) inter ipsos enatae fuerint, venientique *Alexandro M.* semet sponte subjecerint.

Post mortem *Alexandri M.* novum Aegyptiorum regnum fundatum est a *Ptolomaeo Lagi*, duce *Alexandri M.* qui licet 17. annis *b*) post mortem *Alexandri* titulum regis usurpaverit, initium tamen regni ejus a morte *Alexandri* ducitur; a quo, usque ad *Cleopatram* per *Octavianum* devictam, regnatum est annis 294. Et quum *Ptolomaeus Lagi* fuerit conditor regni Aegyptiaci, successores ex nomine illius, *Ptolomaei* omnes sunt vocati, universim 14. *c*) Itaque *Ptolomaeus Lagi* moriens, excluso majore filio *Ceranno*, regnum minori *Ptolomaeo Philadelpho* reliquit, *d*) hic Literarum et Literatorum amantissimus Cultor Alexandriam Eruditis replens, Bibliothecam instructissimam congessit;

e)

---

a) Diod. sic. L. 17. 49. Curtius. L. 4. c. 7. n. 1. seqq. Arrian. L. c. 1. Plutarch. in Alexan. *b*) Porphyr. Excerp. Graec. scal. p. 59. *c*) Petavius. Ration. Temp. T. 3. p. 25. 26. *d*) Justin. L. 16. c. 2. Stratonis Lampsaceni vita ap. Diog. Laërt. L. 5. c. 3.

a) Sacramque Scripturam a 70. Interpretibus *b*) in Graecam linguam transferri curavit; demum aedificato regno Pharo *c*) tandem a. M. 3703. decessit, et ei successit *Ptolomaeus* ob beneficia sorori exhibita *Evergeta* dictus, *d*) qui post bella Syriaca feliciter gesta, Judaeos benigne habuit, *e*) ac anno M. 3729. decedens, successorem filium *Ptolemaeum Philopatorem*, matris caede omnique scelerum genere infamem reliquit; qui licet *Antiochum M.* ad Raphiam tanta pugna superaverit, *f*) ut si ad fortunam animum et industriam adjunxisset, facile *Antiochum* regno spoliare poterat; tamen pace composita, adeo ad luxuriosum vitae genus rediit, ut majestatis omnisque pudoris oblitus, dies noctesque flagitiis consumeret, *g*) Judaeos crudeliter tractaret; imo *Arsinoe* sorore et conjunge occisa, deinceps curam regni *Agathocleae* pellici, ejusque fratri *Agatochli* committens, *h*) regnum misere convulsum, filio quinque annos nato *Ptolomaeo Epiphani*, a. M. 3746. reliquit, *i*) qui primos suos octo annos sub Romanorum tutela, in specie

a) Per Demetrium Phaleraeum ap. Diog. Laërt. L. 5. c. 5. Ammian. Marcell. L. 22. c. 16. Proleg. ad Corringii comment. de Script. 2. §. 23. 24. *b*) Irenaeus. L. 3. c. 25. Clem. Alex. L. 1. Strom. Joseph. antiq. L. 12. c. 2. *c*) Strabo L. 17. de Ins. Pharo. — Plinius L. 36. c. 12. *d*) De Beronice defensa. Justln. L. 27. o. 1. *e*) Joseph. L. 2. contra Appion. *f*) Polybius L. 5. c. 79. Justin. L. 30. c. 1. *g*) Justin. L. 30. c. 1. *h*) idem. ibid. Polybius. L. 15. p. 719. *i*) Justin. L. 30. c. 2. 3. Valer. Max. L. 6. c. 6.

M. Lepidi, reliquos autem in constanti eorum amicitia laudabiliter *a*) exegit; ac a. M 3770. mortuus, parvulum filium *Ptolomaeum Philometora* successorem habuit sub tutela Matris *Cleopatrae*, qua mortua, tutores juvenis regis *Eulaeus* et *Lenaeus* Coelesyriam, quam *Antiochus Epiphanes* ex pacto dudum tenebat recuperare volentes, *Antiochum* in se concitarunt: *b*) qui belli causam nactus, eo majores fecit apparatus, quo certioribus nunciis intellexisset Romanos bello Macedonico distineri; quare etiam ad montem *Casium* primam reportatam victoriam, altera illustriorem reddidit; ipsumque *Philometorem* regia dignitate exuit; cujus locum ejus frater *Ptolomaeus Physcon* occupavit, qui initio regni, et cum exauctorato fratre, et cum *Antiocho* gravia bella habuit; donec tandem interventu Romanorum, regnum cum fratre divideret; *c*) eo vero a. M. 3804. mortuo dum solus ducta fratris uxore *Cleopatra* regnaret, evasit homo deformis, et animi crudelitate belluae similior quam homini: *d*) quare suis invisus, cum *Cleopatra* nepte, quam, matre ejus repudiata, in uxorem duxerat, in Cyprum ivit, unde Conjugi, ac Sorori, item patriae funestum bellum indixit; tandem moriens anno regiminis 39. regnum prio-

---

a) Livius L. 31. c. 2. et 9. item L. 36. c. 4. *b*) Livius L. 42. c. 29. et L. 45. c. 12. Polyb. in excerpt. Legat. c. 71. 72. *c*) Livius L. 46. Polyb. Excerp. Legat. 115. seq. *d*) Justin. L. 38. c. 8. Joseph. contra Appion. L. 2. c. 5.

prioris uxoris *Cleopatrae* filiae, itidem *Cleopatrae* nunc uxori reliquit ea lege: ut ipsa dein, uni ex duobus filiis, cui vellet traderet; *a*) erant autem filii *Ptolomaeus Lathurus* seu *Soter*, et *Ptolomaeus Alexander*. Tertius ex pellice natus erat *Ptolomaeus Appio* cui pater regnum Cyrenarum testamento reliquit; qui dum moreretur, Romanum populum heredem constituit. *b*) Igitur *Cleopatra* in filium minorem *Alexandrum* pronior, sed tamen a populo majorem nempe *Lathurum* eligere coacta, diuturnis turbis Aegyptum afflixit; nam *Lathurum* filium socium regni crudelem et infelicem habuit, *c*) cui tandem a. M. 3851. e regno ejecto, substituit juniorem filium *Alexandrum*, *d*) qui brevi ut matris insidias evitaret regno excedens, mox revocatus, matris molimina praevenit eam anno M. 3860. occidendo. *e*) Ob quam nefandam caedem Alexandrini offensi, sequente anno *Alexandrum* pellunt cum regnasset annos 18. et ipse brevi occisus, unicum filium *Alexandrum* in insula *Coo* educatum reliquit. *f*) Interim a populo ejus frater in regnum revocatus est, qui tandem bello cum Judaeis terminato, a. M. 3870. decessit, relinquens unicam filiam legitimam *Berenice*; et duos

K 2 spu-

---

a) Justin. L. 39. c. 3. *b*) Justin. L. de Appian. Livius. L. 70. *c*) Justin. L. 39. c. 3. Joseph. L. 13. c. 20. *d*) Lathurus dicitur a Strabone, et Josepho, — Soter vero a Porphyrio ap. Scaligerum, et Ptolomaeo in Canone ap. Calvisium *e*) Justin. L. 39. c. 4. 5. *f*) Justin. ibid. c. 5.

spurios filios. *a*) Ceterum hunc *Lathurum* tres exceperunt reges a plurimis scriptoribus omissi, *b*) nempe *Ptolomaeus Alexander* junior, hujusque frater *Ptolomaeus Alexander Philadelphus*, uterque filius *Alexandri* prioris, et *Ptolomaeus Nothus*, in quorum rebus gestis Historici deficiunt. *c*) Tandem *Ptolomaeus Dionysius* patris testamento, regno et connubio honoratus, a Senatu Romano tutorem accepit *Pompejum*, quem post praelium Pharsalicum ad se profugum per *Achillam* sustulit, ejusque caput cum annulo *Caesari* victori in pignus amicitiae misit. Interim cum sorore *Cleopatra* bellum gerendum statuit: quod *Caesar* dum pacifice sopire vellet, *Dionysius* se armis defendendum decrevit, sed a *Caesare* pugna victus, in Nilo periit. *d*) *Caesar* tunc Aegyptum in suam potestatem redigere potuisset, sed tamen *Cleopatrae*, ejusque fratri minori regendam permisit: verum *Cleopatra* ultima Aegypti regina fratris aetatem fastidiens, totaque *Caesaris* amore ardens, post debellatum *Scipionem*, Romae eum invisit. Interim *Caesare* occiso, *Cleopatra* mox apud *Antonium* in suspicionem vocata, eo: quod *Cassium* pecuniis juvisset, non so-

a) Uti Ptolomaeum Auletem et Ptolomaeum Cyp. regem. vide ap. Justin. Proleg. L. 39. et 40. Strabo L. 14. p. 684. *b*) Quocum successionem ex Porphyrio et Appiano declarat Christian. Ad. Rupertus observ. ad Besoldi Synopsin. c. 11. *c*) Petavius. Ration. temp. T. III. p. 25. et 26. *d*) Caesar. L. 3. de bell. civ. c. 107. seqq.

solum eum placavit, sed et libidinoso obsequio adeo dementavit, ut deinceps luxu ac sceleribus diffluens, ipsum fratrem simul ac maritum, imo et sororem *Arsinoen*, per *Antonium* interfici curaret. Post haec Regina Regum salutata, summa cum impudicitia ipsum *Antonium* eo impulit, ut suam uxorem *Octaviam* repudiaret, seque in conjugem reciperet; quod iniquum factum *Caesar Augustus*, *Octaviae* frater aegre ferens, in eas deduxit angustias tam *Cleopatram* quam *Antonium*, ut sibi ipsis mortem violentam inferrent; *a*) ipsam vero Aegyptum, quae tunc sola ex Monarchia Graeca restabat, in Romanorum provinciam redigeret; quo facto Regni Aegyptiaci finis impositus, et cives jugum Romanorum subire compulsi sunt: donec tandem *Heraclius* Imp. a. 634. Saracenorum bellis afflictus, iisdem Damascum *b*). et a 641. totam Aegyptum cessisset: quorum regnum *c*) anno 812. divisum, deinceps Aegyptus Caliphas accepit, et demum seculo 12. *Noradinus* fratri suo *Siracono* subjecit. *d*) Ac demum a. 1244. Saracenorum regno diviso, Aegyptum Mammeluchi *e*) sibi subjecerunt, ex qui-

---

a) Dio. Cass. L. 42. et 50. 51. p. 442. — 453. Plut. Anton. p. 940—955. Florus. L. 4. c. 11. Epith. Livius L. 132. seqq. *b*) Elmacinus L. 1. c. 2. Roderic. Tolet. c. 7. *c*) Elmacinus L. 2. c. 6. Johan. Henr. Hotting. Hist. Eccl. Secul. 9, sect. 2. *d*) Guil. Tyri. L. 19. et 20. c. 12. *e*) Guil. Tyrius. L. 21. c. 23. Joan. Leonclav. in Pandectis Turcor. c. 207.

quibus celeberrimus erat *Bendocdar a*) Aegypti Sultanus, qui maximam Palaestinae partem Christianis ademit. Tandem Mammeluchorum in Aegypto regnum destruxit *Selimus* a. 1517. Turcarum Imperator. *b*) Cujus successores in hodiernum usque diem per Bassas possident.

V. §. *Status Literarum et Artium.* Aegyptiorum sapientia *c*) non tantum humanis sed et divinis *d*) celebratur literis, unde eorum praeclara inventa, non vane ab *Homero e*) his complectitur: *Aegyptius Heros ob Senium curvus, sed rerum mille peritus:* et revera admirationem imprimis meretur Aegyptus pro illa prima mundi aetate, ob scientiarum culturam, et stupendas aedificiorum moles, quae plane omnem fidem exsuperare videntur; ubi non *Hermes Trismegistus* ut quidam putant, *f*) sed *Theuth*, *g*) numerorum, Geometriae, Astronomiae, aleaeque ludi et Literarum inventor accessit *Thamum* universae Aegypti regem, artes suas demonstraturus; ut ceteris quoque Aegyptiis eae traderentur. Ubi initio Scientiae, carminibus et Sym-

---

a) Marin. Sanutus L. 3. part. 12. c. 11—17. hujus expeditiones exponit. *b*) Leonclavius. L. 17. Hist. Musulman. Paul. Jovius L. 17. et 18. Hist. sui temporis, et in Comment. rer. Turcorum. *c*) Macrob. Saturn. L. 1. c. 16. Herodot. L. 2. c. 160. *d*) Gen. c. 41. v. 8. Exod. c, 7. v. 11. *e*) Odyss. β. *f*) Bolla. Hist. univ. T. 3. p. 46. *g*) Plato in Phaedro. et Philo. Bybliot. ap· Eusebium. P. E. p. 39.

Symbolis, seu Hieroglyphicis literis communicabantur, quae saepe integros sensus significarunt, uti exempli causa: *Vultus* naturam, *Apis* Regem, *Bubo nocturnus* vigilantiam. *a*) Cujusmodi Scripturae arcanae seu sublimiores vocabantur; quae demum inventioni literarum, ad evitandas molestias occasionem praebuerunt; hinc mirum non est: si credant Aegyptios ante omnes primos scientias et artes coluisse. Vigebant autem apud illos sequentes scientiae: 1. *Geometria* ideo: quia apud illos, quum omni anno per inundationem Nili, agrorum limites confunderentur, necessitas novarum dimensionum illos adegit ad hanc scientiam inveniendam et percolendam, quam dein ad Graecos transmiserunt. *b*) 2. *Chemiam* a *Chamo* repertam quidam putant; ceterum *Osiride* et *Iside* regnantibus, aeris et auri officinas in Thebaide fuisse repertas *Diodorus c*) refert; prout dein regio jussu, aurum ex petris effossum fusumque erat; *d*) cujus copiam in Aegypto jam ipse *Abrahamus e*) nactus; *Josephus* ex poculo argenteo *f*) bibere solitus, denique jam *Isis* simulacra Diis per fabros fieri *g*) curavit. De invento lanificio ipsi similiter gloriantur. 3. Astronomia in vigore fuit, nam teste *Diodoro h*) plane-

ne-

h) Ammian. Marcell. L. 17. c. 4. *b*) Strabo L. 16. p. 531. Diodor. sic L. 1. c. 81. *c*) Diodor. L. 1. c. 15. *d*) idem L. 3. c. 12. *e*) Gen. c. 13. v. 2. *f*) Gen. c. 44. v. 2. 5. Exodi. c. 12. v. 35. 36. *g*) Diodor. L. 1. c. 15. *h*) L. 1. c. 81. Strabo. p. 580.

netarum motus, circuitus, stationes ac singulorum vires circa animantium ortus, quae bona aut mala efficiant, cupide annotarunt. 4. Architecturam floruisse, immortalia Aegyptiorum opera, quae edacitatem temporis superant, manifeste docent; cujusmodi erant *Obelisci* et *Pyramides*, totidem turris Babylonicae imitamina exstiterunt; et quidem: *Obelesci* ex uno et durissimo saxo excisi, basim habebant quadratam, apicem versus tenuiores, latera autem hieroglyficas literas alte incisas praeferabant, altitudo a. 50. ad 180. pedes assurgit, per totam Aegyptum *a*) strati olim reperiebantur; Alexandriae etiam nunc superest unus. Romani ad Urbis suae ornatum plures olim transtulerunt, quibus medio aevo collapsis, *Sixtus V.* Pontifex quatuor iterum erexit. *b*) *Pyramides* aeque ex ingentibus saxis aut laterculis, basi quadrangula, vertice truncato exstructae sunt, et ita collocatae, ut latera cardines coeli respiciant, cujusmodi *Herodotus c*) octo jugerum altitudinis meminit. Moles hae, sub quarum pondere terra gemere videbantur, omnia ojecta vicina superabant, hominesque in admirationem rapiebant. De fine colossalium operum disceptatur; plerique causam tradiderunt, ne reges pecuniam successoribus, aut aemulis in-

---

a) Plin. L. 34. c. 7. Diod. L. 1. c. 57. *b*) Ammian. L. 17. c. 4. Marsham. in Can. p. 432. seqq. *c*) L. 2 Pomponius. L. 1. fol. 30. quatuor jugera sua sede occupat, totidem in altitudinem erigitur. *d*) ibid. fol. 31.

insidiantibus praeberent. *a*) Ceterum si soliditas et magnitudo spectetur, videntur desolationi seculorum minari voluisse. Si figurae Hieroglyficae aspiciantur: videntur pro perennandis memorabilibus factis excogitatae. Si nomen consideretur, quod coptica lingva *radium* solis designat, videntur Soli sacratae fuisse. Si denique mumiae in iis existentes considerentur, pro sepulchris Regum destinatae fuisse inveniuntur. Quidquid horum sit, nihil aliud reipsa sunt: quam monumenta vanitatis et superstitionis. — *Labyrinthus* *c*) domos mille, et regias duodecim; perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore exstructus ac tectus, unum in se descensum habet, intus innumerabiles vias, multis ambagibus huc illuc remeantibus, sed continuo anfractu et revocatis porticibus ancipites; unde ob viarum multitudinem et miram contorsionem, sine perito duce aegrae quis exitum invenire poterat. *Mumiae* sunt cadavera, aromatibus ita condita et praeparata, ut putredini perpetuo resistant: nulla enim natio in balsamisatione cadaverum, eum perfectionis gradum attigit, atque Aegyptiaca, nam corpora in saxis ac Pyramidibus ita integra deprehenduntur, ut iis ne quidem dens deesset. Mumiae hae communi desolationi minari videntur. Unde inferimus: quod homines ita inventiosos et fecit, et facere soleat superstitio; hi enim crediderunt animas eousque inhabitare

cor-

---

a) idem. ibid. fol. 31. latere 2.

corpus, quousque illud incorruptum est. Ratio itaque praeparandorum ita cadaverum in Systemate religionis fundatur. — Floruit praeterea apud Aegyptios etiam Philosophia, quoniam omnes Philosophiae cultores ad Aegyptum tanquam veram musarum et sapientiae sedem confluebant, nemoque vere sapiens credebatur, nisi a Mystis Philosophis Aegyptiis instructus. Ceterum licet enumeratas scientias percoluerunt, multas tamen alias naturae artes, et scientias uti: Medicam, statuariam, picturam etc. ad magnum perfectionis gradum haud evexerunt. Cujus

Impedimenta fuerunt 1. *Temperamentum.* Populus enim Aegyptiacus omnis laetitiae inimicus, semper melancholicus fuit; ideo non ea, quae homini naturalia sunt scrutabatur; sed semper in misteriis corruptus ejus gustus erat, ut satis in pyramidibus se manifestat, quae moles, magis de pacientia populi, quam de bono gustu testantur. Melancholia enim musicam eliminavit; *a*) eremitas vero tanto numero produxit, ut post quadringentos annos, ad 70. et ultra millia numerarentur. II. *Corporis conformatio*, quae apud omnes Aegyptiacos erat rudis et improportionata, unde corpus ipsorum nobilem corformationem non habens, artificem nullatenus ad sui imitationem rapere potuit, quare etiam neglecta fuit pictura, statuaria etc: unde omnes

a) Diod. Sic. L. 1. c. 81. Musicam ceu inutilem et noxiam aversari; quod virorum animos effoeminet. Plato. L. 2. de legibus.

omnes eorum statuae erant rigidae, sine actione, sine affectione. III. *Religio*, quae omnes novitates interdixit, ideo etiam Medicis alia media praescribere vetitum erat, quam quae in Sacris eorum libris continerentur; hinc Medicinae ars perfici nec potuit; nam haec quoque ars, sicuti Sapientia, a sui ipsius cognitione incipit: Medici autem Aegyptiorum sui ipsius cognitionem habere non potuerunt, quia nefas erat homines anatomisare, quum crediderint animas eousque inhabitare corpus, donec illud incorruptum persistat. IV. *Vilipensio artificum*, omnes enim artifices cum aliis opificibus ad unam contemtam classem rejiciebantur, ubi tamen honos alit artes. V. *Lex fundamentalis*, juxta quam totus populus in certas ut vidimus Classes hereditarias fuit divisus, ex quarum una non licuit transire ad aliam, unde nullus aliquod rectum vitae genus, ad quod naturalem inclinationem habuisset, eligere potuit. Hoc noxium institutum erat ideo: quia Regum animos vehemens metus occupabat, ne aliquando morum mutatio per tales inducatur.

Ceterum post mortem *Alexandri M.* denuo, et amplius florere coepit Aegyptus sub novis regibus Ptolomaeis; inter quos *Ptolomaeus Philadelphus* Scientiarum et artium maximus promotor erat; ejus enim indultu Alexandriam regiam Aegypti urbem, tamquam ad verum Musarum domicilium artifices ac Literati confluebant,

ut

ut ex *Theophrasti* Philosophi *a*) et *Theopompi* adventu clarum fit. A *Philadelpho* enim rege condita fuit celeberrima Alexandrina Bibliotheca, quae sub ejus successoribus adeo excrevit, ut septies centena millia voluminum contineret. *Varrone* teste eo tempore quo Alexandria condi coepit, inventus est usus papyri plantae, quam plantam una cum calamis Memphitica tellus in Aegypto ad Nilum producit: et propter commoditatem ejus usus a cunctis scriptoribus adoptabatur; hinc etiam hodie chartam qua utimur, passim papyrum appellamus. Ante papyri inventionem in usu erant pugillares; seu tabellae cera obductae, quibus literae Stylo scribebantur; saepe etiam in laterculis, aut corticibus arborum scripserunt. Similiter etiam Bithyniae rex *Eumenes* instructissimam Bibliothecam Pergami instituit. Et quoniam Aegyptii reges, ut incrementum ejusdem Bibliothecae inhiberent, papyrique exportationem prohiberent; ideo *Eumenes* rex jussit libros ex alia charta fieri; quales quia in Urbe Pergamoo conficerentur; deinceps Charta Pergamena dicta est.

Ca-

---

a) Diog. Laërt. L. 5. c. 78. Aelian. Var. Hist. L. 3. c. 17. *b*) Photius. in Bibl. c. 176. p. 392.

Caput VI.

DE PHOENICIIS SIVE CHANAANAEIS.

§. 1. *Geographico Statistica notio Gentis.* Qui ab exteris scriptoribus Phoenicii appellantur, illi in sacris literis Chanaanaei, sunt posteri *Chanaani* filii *Chami a*) qui se jam temporibus *Abrahami* ad littora maris rubri in Chananitidem receperunt; et non modo ad sinum Arabicum et Persicum, sed plane ad Judaeae usque oras habitarunt; sed quia maris oportuna vicinitate maturae navigationi incubuissent, saepe infortunio disjecti, ad commodiora loca devenerunt, et diversas Africae regiones, partim coloniis reddiderunt frequentes, partim insignibus aliis factis nobilitarunt, *b*) condideruntque imperii cupiditate solicitati varias Civitates uti: *Hipponem*, *Adrimetum*, *Leptim*, etc. quae brevi auctae, partim ipsis praesidio, partim decori erant; *c*) aucta demum potentia, dum *Sidon* et *Tyrus* civitates primatum obtinuerunt, etiam in Asiam minorem, et Europam excursiones faciendo in varias insulas, uti: Cyprum, Rhodum, Siciliam, Graeciam magnam, gentis multitudinem traduxerunt; Hispaniam jam sub *Josua d*) detexerunt; et

a) Sanchoniath. ap. Euseb. P. E. p. 39. *b*) Euseb. in Chron. Gr. de Cananaeis p. 11. *c*) Sallust de bell. Jugurth. *d*) Diodor. L. 5. c. 20. Plinius. L. 5. 19. hodie *Cadix* dicitur.

sub *Davidis* aetate *Gades* exaedificarunt; sub *Salomone* Hebraicae classi in *Ophir* et *Tharsis* eunti viarum duces erant. Sub *Nechao* Africae promontorium circumiverunt. Tyrum et Sidonem ab *Agenore* conditam *Curtius* *a*) refert, cujus tamen relatio potius de harum urbium amplificatione intelligi debet: nam *Josue* tempore, *Sidon* erat *magna* *b*) et Tyrus *urbs munita*; *Josephus Flavius* *c*) autem hanc urbem 240. annis ante exstructionem templi Hierosolymitani aedificatam dicit, et ab *Alexandro M.* dirutam. Erat et Gibeon magna urbs, cujus habitatores non modo fortitudine, sed et astutia pollebant, ut ex adventu *Josue* *d*) patet. Memorabilis erat et *Berytus*, *Sanchoniathonis* patria cum portu boreali; *e*) supra quam erat *Byblus* urbs Phoeniciae omnium antiquissima *f*) a *Saturno* condita. Incolae suberant variis regibus, quorum industriam et occupationes *Pomponius Mela.* *g*) sic exposuit: Phoenicen illustravere Phoenices, solers hominum genus et ad belli pacisque munia eximium, litteras et literarum operas aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum praeliumque commenti. Hodie Phoeniciae regnum vocatur Barbaria, in qua quatuor sunt regna, uti:
Ma-

---

a) L. 4. c. 4. *b*) Josue. c. 19. v. 28. 29. *c*) Antiq. Jud. L. 8. c. 2. n. 3. *d*) Josue c. 9. v. 3. c. 10. v. 2. c. 11. v. 19. *e*) idem. c. 9. v. 17. *f*) Sanchoniath. ap. Euseb. P. E. p. 37. Strabo. L. 17.

Maroccanum, Fessanum, Tunetanum, alias Algiritanum, et Teleusinum: de quibus suis locis.

§. 2. *Status Religionis, et consvetudinis.* Phoenicii jam primis temporibus turpissimis omnis generis flagitiis se inquinaverunt; nam falsa numina adorantes, iis statuas arasque altas erexerunt, et sculptas imagines fabricaverunt; prout eas Israelitae evertere a Deo jussi sunt *a*) his verbis: *non adorabis Deos eorum, nec coles illos, sed destruendo destrues eos, et confringendo confringes statuas eorum.* Imprimis vero serviverunt *Molocho*, *Belo*, et *Astarte*, quibus dedicatos infantes vel combusserunt, vel per ignem traduxerunt *b*) *Astartem* coeli filiam dicit *Sanchoniathon*, alii autem *Venerem* fuisse dicunt, cui Phoenices donum obtulerunt de prostitutione filiarum ante matrimonium, *c*) Cujus templum celeberrimum erat in monte Libani, *d*) ubi etiam *Adonidis* maximam tenuerunt venerationem. *e*) Crediderunt insuper mundum et ex se ipso ali, et in se revolvi, *f*) in cujus Symbolum, Draconem finxerunt in orbem redactum, caudamque suam devorantem; et tales Deos *Pataicos* vocarunt: *g*) quorum ministri secerdotes, Magi, Augures erant. Ceterum Phoenices erant

---

a) L. 1. p. 37. latere. 2. *b*) Exodi. c. 23. v. 24. Numeror. c. 33. v. 52. Deuter. c. 7. v. 25. *c*) Levit. c. 18. v. 21. Deut. c. 18. v. 9. *d*) S. August. L. 4. de Civit. Dei. c. 10. quo pertinent verba Levitici. c. 19. v. 29. *e*) Macrob. Saturn. L. 1. c. 21. *f*) Lucian. de Dea Syr. T. II. p. 658. *g*) Macrob. Saturn. L. 1. c. 9.

erant astuti, lucricupidi, solertes, ingenio et industria excellentes, *a*) sed simul superstitiosis auguriis et divinationibus erant distentissimi, ut patet ex hoc Dei mandato Israelitis dato: *b*) *Non invenietur in te divinans divinationes, praestiator et augur. — Nam gentes istae quas possidebis, consulunt Ariolos, et Divinos! tu autem a Domino Deo Tuo aliter institutus es.* Hi praeterea sanctam matrimonii institutionem foedis incestibus abrogaverunt; *c*) cujus causa etiam potissimum piratica exercuerunt; brevique a raptibus celebres evaserunt. *d*)

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis.* Quoniam Phoenicii seu Chananaei ex pluribus vicinis et remotissimis etiam gentibus coaluerunt; quinque praecipuas eorum sedes animadvertimus; I. Originariam ad sinus Persici oras. II. Palaestinam, seu omnem terram Hebraeis ex Aegypto revertentibus divina providentia concessam. III. Phoeniciam ad Littora maris mediterranei. IV. Regionem Amalecitarum juxta Arabiam. V. Regionem Hamathitarum in Syria, tamquam pacatam terram, in quibus regionibus Phoenicii potissimum a civitatum nominibus quas incolebant fuerunt appellati; ut *Tyrii*, *Sidonii*, *Hevaei*, *Hethaei*, *Amoritae*, *Pheresitae*, *Jebusitae*, *Amalecitae*, *Enakaei*, *Caphthoraei*. etc.

Qua-

---

a) Herodot. L. 3. c. 37. *b*) Mela L. 1. fol. 37. Lat. 2. *c*) Deut. c. 18. v. 10—14. *d*) Levit. c. 18. v. 24. Herodot. Euterp. c. 54.

Quarum gentium Forma regiminis proxime accedebat ad primaevam et innocentiorem, quae ante diluvium, aut proxime a diluvio invaluerat, demta tyrannide; nam in Phoenicia singulae urbes singulis parebant regibus, salva omnium libertate; *a*) ceterum unus tamen antecellebat alios auctoritate aut consilio propter concordiam, et reipublicae ordinationem; cujus rei clarissima deprehenduntur in Sacris literis *b*) vestigia. Hi tamen regum successores etsi magis tyranni essent, amabant tamen se reges nominari; sic *Josue* gladio percussit *c*) *Jabinem* Hazore principem. — Successu temporis celeberrimi ob divitias et potentiam evaserunt inter omnes, Tyriorum, et Sidoniorum Reges, harum potentiam non parum imminuerunt *Salmanassar* et *Nabuchodonosor*; Tyrios vero *Alexander* M. penitus evertit.

§. IV. *Status Belli, et memoria Principum Virorum.* Phoenicios, vicini et portuosi maris oportunitas, item copia optimae, ex caedris et abietibus Libani montis ad struendas naves materiae, animosos alioquin incolas permoverunt ut ad rem nauticam se se adplicarent, et victus opumque causa, quas tum justo commercio, tum piratica exercentes obtinere solebant; quare successu temporis res eorum florentissimae evadere poterant, quoniam audax sedulaque natio

L ex

---

a) Josue. s. 12. v. 7. *b*) idem. c. 10. v. 1. seqq. et c. 11. v. 1. seqq. *c*) idem. c. 11. v. 10.

ex suis, acceptisque ex Babylonia, Arabia, India, et Aegypto mercibus permutandis et vendendis, maximas sibi res compararet, evitare vicinarum gentium invidiam non poterat; ideo ad internam securitatem et tranquillitatem procurandam jam illi mature coeperunt Urbes construere munitas: *a*) et revera neque carebant armatura bellica, nam instructi erant a copiis, item numerosis et fortibus equis, ac curribus ferreis; *b*) imo quod pro illa aetate mirari debemus, etiam in mutua foedera defensionis et offensionis coaluerunt; *c*) Urbes suas muro munitas occluserunt, ut nemini intrandi aut exeundi licentia concederetur, *d*)hostesque licet saepe animo fracti, tamen alacriter *e*) insectabantur. Ast contra potentiam Divinam haec omnia frustra erant molimina, nam ad solum turbarum sonum, Hierichuntis muri *f*) corruerunt. Unde arbitror tunc pulchre esse munitam civitatem, si incolae bene sint morati: item si perfidia, peculatus et avaritia ex urbe exulant; haec nisi absint, centupplex murus rebus servandis parum est. Inter Phoenices Heroes primus occurrit *Agenor g*) qui ex *Telephassa* conjunge *Europam* filiam, item *Cadmum* et *Phoenicem* filios successores habuit, *h*) *Cad-*

---

a) Josue. c. 9. v. 3. et c. 10. v. 2. et c. 11. v. 19. Numeror. c. 13. v. 29. *b*) Josue. c. 11. v. 4. c. 17. v. 14. *c*) idem c. 9. v. 1. et 2. item. c. 10. v. 33. *d*) idem. c. 6. v. 1. *e*) idem. c. 7. v. 5. et c. 8. v. 17. *f*) Josue. c. 6. v. 20. *g*) Apollodor. L. 2. p. 77. *h*) Hyginus f. 170.

Cadmo successit *a*) *Hercules*, post quem *Jabin* a *Josue* percussus *b*) memoratur. Postquam autem Babylonii et Persae potentes evasissent, tum Phoenices ad servandum politicum aequilibrium se passim Aegyptiis associarunt; imo Sidonii etiam foedus contra *Nabuchodonosorem* inierunt; sed Aegyptii brevi ab eo victi, Sidoniique expugnati a. ante Ch. 590. licet tardius civitatem instauraverint, tamen opibus destituti, Babyloniorum, dein Persarum jugum ferre debuerunt: cujus impatientes, dum novitus libertatem armis revindicare voluissent, *Ochus* Persarum rex nihil eos clementius tractavit; imo victis prius eorum sociis Aegyptiis, Sidonios in tantas angustias redegit; ut cives deditionem mordicitus facere nolentes, ne in hostium manus veniant, potius *se* cum thesauris suis sponte combusserint. Civitas quidem postliminio excitata fuit e ruinis, hodieque exstat superstes.

Alterum in Phoenicia regnum florens erat Tyriorum, quod ante fundatum *Salomonis* templum. 240. annis jam stetisse contendit *Josephus*. *c*) Ast priorum Tyri Regum memoriam vetustas, aut incuria hominum obliteravit. *Hiram* rex Tyri celeberrimus, *Salomonis* aetate floruit quum adhuc Tyriorum res integrae erant, qui etiam ad Templum Hierosolymitanum exstruendum, artifices et materiam suppeditavit. *d*) Tyri

 ma-

a) Strabo L. 16. *b*) Josue. c. 11. v. 10. *c*) Antiq. Jud. L. 8. c. 8. *d*) 3. Reg. c. 5. v. 1. seqq.

magnitudo potissimum crevit Edomitarum excidio. Post *Hiram*, undecimus rex memorabilis erat *Pygmalion*, qui sororis suae *Elisae* seu *Didonis* maritum *Sichaeum* occidit ideo: ut ejus amplissimis thesauris potiretur; cujus caede territa *Dido*, mox convasatis suis thesauris, associatisque sibi paucis subditis, in Africam navigavit: ubi ab *Hiarba* Maurusiorum regulo agrum mercata, oppidum condidit, quod primo *Byrsam* (arcis nomen) dein *Carthaginem* vocarunt. a. ante Ch. 868. *a*) unde error *Virgilii* patet, qui *Didonem Aeneae* facit aequalem, ubi tamen ea tercentis fere annis postea vixit. Ceterum post haec libere vexata subactaque fuit Phoenicia ab Assyriorum et Babyloniorum regibus, quorum rex *Nabuchodonosor*, Sidone jam eversa, Tyrum, quoque longa 13. annorum obsidione capere non valens, interjecto tempore, quo insolentiae suae poenas persolveret Rex, tandem Tyrum magno furore subvertita. ante Ch. 583. Incolae convasatis rebus omnibus in vicinam insulam elapsi, ibidem novam Tyrum condiderunt. Antiqua etiam resturata tardius, et Palaetyrus seu antiqua Tyrus nominata est. Sic sensim assveti exter-

---

a) Petavius Ration. Tempor. P. I. L. 2. c. 4. p. 76. Verum ex Tab. Chron. ap. Lenglet du Fresnoy, statuitur Carthaginem a Didone tantum restauratam, et illustratam. Sed Pagius in Apparatu Chronol. N. 27. asserit Carthaginem in Africa a. 144. post inchoatum a Salomone templum primo fuisse conditam a Didone.

ternis imperiis Phoenicii, sponte semet *Cyro* dediderunt; ac demum cum Persarum Monarchia, Phoenicia quoque ad *Alexandrum* M. devenit, sola nova Tyrus insularis illi longissime restitit. Atque hac ratione in oblivionem venientes, vires suas restaurare non potuerunt, vel maxime ideo: quia mercimonium Asiaticum, Alexandriam translatum erat. Nunc Phoenicam regionem ex parte Syria habet; majorem tamen partem Algirii piratae possident, contra quos Angli, ob piratica, modo bellum maximo omnium bonorum plausu moverunt. Sub Romanis Berytus urbs jurisprudentiae sedes erat, atque medio aevo *Barut* dicta, et sedes negotiantium praecipua. *Sidon* hodie *Said* civitatis nomen retinet: Sed *Tyrus* pro vico est.

§. V. *Status Literarum et Artium.* Phoenicios constat ad omnes artes mire excelluisse, velut a quibus Graeci se literas, aliasque scientias accepisse *a*) fatentur; nominatim autem 16. literas a *Cadmo* didicisse gloriantur. *b*) Illi primi invenerunt triremes, *c*) et nondum tentata aliis maria percursantes, primo ad incultam Europam, semina Asiae et Africae artium intulerunt; primi etiam noctibus ausi sunt navigare, et *Ursae minoris* intuitu maritimos cursus regere solebant; unde praeclare *Plinius* *d*) dicit.

Gens

---

a) Joseph. L. 1. contr. Apion. Euseb. L. 10. p. 477. *b*) Plin. L. 7. c. 56. *c*) Clem. Alex. L. 1. p. 307. et hinc Euseb. Praep. E. L. 10. p. 476. *d*) L. 5. 12.

Gens Phoenicum in gloria magna literarum inuentionis , et siderum, navaliumque ac bellicarum artium. Duo autem erant grandis pretii opera, quae diu sibi solis propria sciverunt retinere. Vitri nempe et purpurae commercium. *Cadmus a*) lapidicinam invenit, et auri metalla in monte Pangaeo excogitavit; quare et *Lucianus b*) recte videtur primo tribuere Sidoniis usum numorum. Viri autem celeberrimi nominantur uti: *Sanchoniathon c*) Historicus, de quo *Porphyrius* dicit: In scribenda autem Judaeorum Historia veritatis est amantissimus *Sanchoniathon* ille *Bërytius*, qui commentarios cum eorum locis et nominibus maxime congruentes, ab *Hierombalo Jevonis Dei* Sacerdote acceperit. Deinde ante Trojana tempora Sidonii floruit *Hoschus* Philosophus *d*) de atomis commentatus. *Eusebius e*) autem alios tres viros memorat, nempe: *Theodotum, Hypsichratem*, et *Mochum*, quorum libros in Graecam lingvam transtulit *Chaetus.* Celebratur et *Hercules* Philosophus Tyrius, qui purpuram invenit. etc.

Ca-

a) Herodot. L. c. 112. *b*) de Dea Syr. et Homerus. Odyss. *Δ*. et *O*. *c*) Porphyrius ap. Euseb. P. E. p. 485. *d*) Strabo. L. 16. *e*) L. 10. de praep. E. p. 493.

Caput VII.

CARTHAGINENSES.

§. 1. *Geographico statistica notio.* De origine Carthaginensium diversae sunt sententiae Historicorum; omnes tamen conveniunt a Phoeniciis conditam fuisse. *a*) Primam sententiam tenet *Appianus* *b*) his verbis: Carthaginem in Africa Phoenices condiderunt annis 50. ante captum Ilium. Conditores autem fuere *Xorus* et *Carchedon.* Verum *Pagius* *c*) statuit eam conditam fuisse a *Didone* anno 144. post templum a *Salomone* inchoatum, seu ante Ch. natum. 885. *Dido* autem seu *Elisa* mulier e Tyro profecta, cujus virum *Sichaeum*, *Pygmaleon* frater eius urbis tyrannus clam dum interemisset, somnio monita, mox congestis pecuniis in Lybiam Africae enavigavit, et in eo loco ubi nunc Carthago est consedit; et locum munitum *Byrsam* dixit. Urbis Carthaginis tres erant partes: *Cathon*, *Megara*, et *Byrsa*. *Byrsa* in media Carthagine erat arx munitissima, in cujus vertice fuit templum *Aesculapii.* Successive urbi Veteri, novae civitates erant adjectae, uti *Cadmea*, *Oenussa*, et *Cac-*

ca-

---

a) Mela L. 1. fol. 19, *b*) in pr. L. de bell. Punico. idem. Tab. chron. ap. Lenglet du Fresnoy. Stabo. L. 17. p. 555. *c*) in apparat. Chron. n. 27. Solinus. in Polyhist. c. 27. Josephus. antiq. L. 3. c. 15. Bochart. Canaan. L. 1. c. 24.

cabe; quae peregrinorum adventu, mutuarumque rerum commercio, item consangvineorum Uticensium donis, ac annuis vectigalibus adeo auctae et frequentatae sunt, ut ad extremum 700. millia incolarum numeraret; cujusque potentia tanta evasit, ut tota Africa cultiore potiretur; in Hispania vero ab Herculis columnis usque Pyrenaeos montes, maximis civitatibus imperaret. Demum variante fortuna postquam 740. annis sibi constitisset, adeo defecit; ut ipsa urbe diruta, circumjacens regio provincia Romanorum facta fuerit, et *Massinissae* commissa; ac tardius a Graecis Carchedon fuit compellata. Haec urbs, tamquam alterum post urbem Romam terrarum decus, restaurata fuit a *D. Caesare*, cui demum stimulos dedit aemula virtus; *a*) de qua Urbe recte *Salustius* dicit: Satius esse silere, quam pauca dicere.

§. 2. *Religionem*, et *Consvetudines*, per suum transitum Phoenices haud mutarunt; ac proin Carthaginenses omnes suas superstitiones, falsorum Numinum cultum, nefandasque consvetudines, *Saturno* potissimum vivas suas proles, et homines *b*) immolandi retinuerunt. Vide Religionem Phoenicum.

§. 3. *Status Politicus et Forma regiminis.* Carthaginensium regnum a *Didone* ut vidimus conditum a. ante Ch. 885. Reipublicae liberae formam ab initio habuisse videtur; quoniam singulis

a) Plinius. L. 18. Pomponius Mela. L. 1. fol. 19. *b*) Diod. Sicul. L. 20. p. 739.

gulis annis duos Magistratus elegerint, qui *Suffetes* vocabantur, et supremo tribunali erant omnes subjecti; constabat autem supremum tribunal ex 104. viris seu Judicibus scientia et meritis conspicuis; inter quos quinque tamquam Ephori ceteris eminebant. Deinde in singulis civitatibus erat Senatus, qui de minimis aeque ac maximis negotiis judicabat; ita tamen ut si eorum sententiis litigantes non conquievissent; provocatio ad Comitia populi licita foret. Haec Respublica initio erat *modica* et *obscura* annis fere 375. donec videlicet primum foedus cum Romanis a. ante Ch. 513. inivisset; quo tempore jam Carthaginenses in Ebuso, imo in Hispaniis, Corsica, Sardinia et Sicilia sedes omnino munitas habebant. Verum a primo isto cum Romanis negotiationis foedere, spatio 250. annorum, usque ad bellum primum Punicum, *Potens* et *arrogans* evasit: quoniam late tunc totam Africam complecteretur, et porro victricia sua arma per totam etiam Europam circumferenda destinaret; sed consiliis ejus primo statim totius Sicilae obtinendae obstiterunt *Geloo*, *Dionysius*, *Timoleon*, *ac Pyrrhus* Celeberrimi tunc occidentalis Europae Duces. Quibus in periculosis adjunctis, mox prudentes Carthaginenses, *Hannoni* et *Amilcari* concesserunt potestatem, Maria extra Calpen et Gades, quaquaversum explorandi. His tamen omnibus ordinatis, sequebatur Carthaginensium tertius Status *Infelix*, plane ad *incitas* spatio 125. annorum. Videlicet a

bello

bello primo Punico, usque ad ipsius Urbis excidium. Bello enim primo Punico *a*) amiserunt Siciliam. Bellum secundum Punicum praeter Africam, omnes provincias consumsit. *b*) Bello vero tertio Punico, tota gens una cum urbe Carthagine penitus concidit. *c*)

§. IV. *Status Belli*, *et Memoria Principum Virorum.* Carthaginense regnum sua incunabula vidit a *Didone d*) *Matgeni* Tyriorum regis filia, ex antiqua ac celeberrima Tyriorum regum stirpe *e*) nata, quae fratris *Pygmaleonis* tyrannidem fugiens in Africam venit; *f*) et Carthaginem condidit. Cujus respublica optime instituta, sensim opibus aucta, potentia sua non contentus, vicinarum gentium provincias sibi subjicere intendebat; quare earum odium evitare nec poterat, imprimis autem *Dionysius* Siciliae tyrannus, ut domi rebellantes Syracusanos comprimeret, pacem cum Carthaginensibus *g*) fecit; ast stabilito domi dominatu suo, viribus auctus, perpetua fere bella cum Carthaginensibus gessit; qui *Imilcone* duce Syracusas obsiden-

---

a) Polyb. L. 1. p. 59—64. *b*) Livius. L. 26. p. 41. seqq. Polyb. L. 10. p. 579. seqq. Livius L. 28. c. 1. 2. 3. 12—16. Polyb. L. 11. p. 638—650. *c*) Appian. de Punic. p. 43. seqq. Livius 49. 50. 51. Vellej. Patercul. L. 1. c. 12. n. 5. *d*) alias Elisa vocatur ap. Justinum. L. 18. c. 4. seqq. vide et Virgilium L. 1. et 4. Aeneid. *e*) Regum Tyriorum Historiam ex Menandro Ephesio refert Joseph. L. 1. contra Apion. *f*) Praeter Justinum. Strabo L. 17. Solinus. c. 30. *g*) Diodor. sic. L. 14. p. 398. seq.

dentes, peste impediti, *a*) denuo *Magnone* duce meliore fortuna Siciliam devastantes, fructuosam pacem iniverunt. *b*) Verum non multo post in Sicilia mortuo *Timoleonte*, magnum nomen obtinuit *Agathocles*, *Carcini* figuli Rheginensis filius, *c*) qui occisis sexcentis viris quibus reipublicae cura concredita erat, arrepta apud Syracusanos tyrannide a. ante Ch. 309. *d*) temerario ausu Africam ingresus, *e*) felicibus armorum successibus, Carthaginenses fere ad desperationem adegit. *f*) Unde reversus feliciter totam Sicilam in suam potestatem *g*) redigens, mox maxima qua poterat celeritate exercitum in Africam reduxit, ubi accepta ingenti clade, *h*) cum reverteretur, Sicilianorum odium incurrit, et dum Brutios sibi subjugasset, a nepote *Archagatho* non sine veneno sublatus est. *i*) Post cujus mortem, Carthaginenses ob Siciliae ditiones, cruenta bella cum *Pyrrho*, et Romanis gesserunt; prout inferius sub Romanis, Bella Punica triplicia videbimus: quorum bellorum ultimo, urbs cum totius regni splendore excisa erat. Nihilominus

---

a) idem. ibid. p. 418. seqq. *b*) idem. ibid. p. 445. *c*) Diodor. L. 19. c. 2. 3. p. 670—675. Justin. L. 22. c. 1. et 2. *d*) idem. ibid. c. 2. et 3. Diodor. L. 19. c. 6. *e*) Causas fuse exponit Diodor. L. 19. et 20. ad initium. Justin. L. 22. c. 4. 5. 6. *f*) Diodor. L. 20. p. 739. qua vice Carthaginenses proles suas Saturno immolabant. Justin. L. 22. c. 5. *g*) Diodor. L. 20. c. 57. seqq. Justin L. 22. c. 8. *h*) idem. ibid. *i*) mortem describit Justinus. L. 23. c. 2.

nus tamen post centum et amplius annos, *Augustus*, velut alter conditor, urbem instauravit, quae tardius Vandalici regni metropolis denuo facta; quam Arabes seculo VII. exeunte, Byzantinis ereptam, rursus ita diruerunt, ut hodie etiam ruderibus consepultam, vix olim splendidissimae urbis Carthaginensis terra fuisse agnosceretur.

§. V. Artes et scientias in Carthagine floruisse, sequentia certo sunt documento, uti: felix et late protensum regimen, multarum provinciarum subactio, Splendor urbis metropolis, florens apud eos commercium, culturaque artium. etc.

Caput VIII.

HISTORIA SCYTHARUM.

§. 1. Scythae, vicinas Indiae regiones usque septemtrionem, ac littus Scythicum, nisi unde a frigoribus arcebantur, *a*) ad Caspium usque sinum possidebant. Hinc duplex Scythia est consideranda, Europaea nempe et Asiatica, Europaea secundum Tanais ripam et Meotidis, item Euxini littus, usque Danubii ostium producebatur. Asiatica vero Scythia a limitibus oppositorum littorum in Orientem procurrit; et a Septemtrione Ocea-

a) Pomponius Mela. L. 1. p. 11. Latere b. Plinius L. 4.

Oceano; a Meridie vero Tauro terminatur. Hanc regionem incolebant variae et innumerabiles gentes saevae, crudeles, et ad bella magis idoneae quam ad quodcunque humanitatis studium. *a*) Scriptores, sequentes Scythicas gentes enumerant. *b*) *Auchetas, Neuros, Gelones, Thyrsagetas, juxta quas Turcae vastas silvas colebant, a quibus Hungari ortum ducunt. Budenos, Basilidas, cum coeruleis capillis Agathyrsas, Nomades, Georgios, Antropophagos, Sauromatas, Essedones, Hiperboreos, Pharmacotrophos, Sacas, Massagetas, Cadusios, Cimmerios, Mardos; Antibaranos, Comagenos etc.* Inter Scythiae fluvios amoenissimus est *Boristhenes* aliis placidior, alit laetissima pascua, sapore optimo magnos pisces. Alter fluvius *Danaper*, *c*) item *Tyrus* hodie *Neuster*. Scythas olim a Germanis Danubius divisit. Scythae, gentem suam omnium fuisse antiquissimam profitebantur; *d*) quia ex majorum traditione habuerunt, Asiam et Aegyptum item Africam prius fuisse habitatam, quam primi homines Istrum transgressi fuissent; quae etiam gens antiquissima cum Aegyptiis gravem de generis vetustate *e*) litem habuit. Scytharum pater fuisse creditur *Magog*, *f*) cujus successores primum *Skoloti*,

a)

---

a) Plinius. L. 6. c. 24. Strabo L. 11. p. 11. p. 115. *b*) idem. L. 4. c. 12. *c*) Jornandes de reb. Get. c. 5. *d*) Herodot. L. 4. c. 5. *e*) Justinus. L. 2. c. 1. *f*) Jos. antiq. Jud. L. 1. c. 7. Bochart. Phaleg. L. 3. c. 13.

a) dein a Graecis *Scythae* vocati sunt, quorum fratres fuisse quidam praetendunt Thraces, ad fluvium *Tyren* incolas *Tyritas*, *b*) quorum opidum ad Danubium erat *Tyrista.*

§. 2. *Religio.* Scythae sicut diversa nominum varietate innumeras et vagas constituerant gentes, ita variorum Numinum superstitione erant contaminati, idololatriam colentes. Inter primos Deos coluerunt *Martem* *c*) eique pro simulacris enses et tentoria dedicant, *d*) hominesque pro victimis feriunt: praeterea victimae sunt equi et pecora alia, ac captivorum *e*) centesimus quisque. Porro pro diversitate gentis colunt et *Vestam*, dein *Jovem* ac *Tellurem*, post hos *Apollinem* et *Venerem* coelestem, uti et *Acinacem.* *f*) Quibus, vel maxime autem *Apollini*, Virgines primitias frugum portabant *g*) in Delum. *Mores* et cultus Scytharum in Europa differebant. Sic *Essedones* Justi, fortes, parentum funera laeti, cum victimis et festo amicorum conventu celebrant, et cadavera ipsa conscissa cum aliis pecorum visceribus epulando consumunt. *Agathyrsi*, ora et artus pingunt. *Satarchae* auri et argenti ignari, ob saevam hyemem in speluncis habitant, totum corpus praeter oculos etiam ora vestiunt. *Tauri*, advenas pro victimis occidere solent. *Basilidae*, arma et sagittas curant; *Nomades* pecorum pa-

---

a) Herodot. L. 4. c. 5. et 6. *b*) idem ibid. c. 51. Plinius L. 4. c. 12. *c*) Herodot. L. 4. c. 59. *d*) Mela L. 2. p. 55. latere b. *e*) Herodot. L. 4. c. 62. *f*) idem. ibid. c. 59. g) idem. ibid. c. 34. 35.

pastione vivunt. *Georgi* agros colunt. *Geloni* hostium cutibus se, et equos velant. *Thyrsagetae Turcaeque* venatu victitant. *a*) *Antropophagi* humana carne vescuntur, et sine legibus, propria lingua utuntur. *Massagetis b*) optimum mortis genus videbatur, si senio confecti in frustra caesi ederentur; eos vero promiscue, qui morbo moriuntur, ut impios abjiciunt, et dignos judicant ut a feris devorentur.

§. 3. *Politica et Bella.* Scythae ab initio Principibus regiis ex *Herodoto c*) subesse videntur; a quibus multi jam olim deficientes, sua lingua *Pártosok* seu rebelles, ab aliis vero *Parthi* vocati sunt: qui exules *f*) potissimum praedationibus vitam sustentarunt. Primus in Scythia regnasse dicitur *g*) *Thanim*, a cujus nomine Tanais fluvius nomen accepit, qui in Riphaeis montibus scaturiens, in paludem Moeotiden influit. *Politica* Scytharum maxima fuit, longinqua, non finitima gerere bella, ideo Scytharum nomen transivit etiam *h*) in Sarmatas, et Germanos. Quam tamen famosissimam Gentem *Cyrus* Persa, disvadente licet *Croeso* inauspicatissimo successu aggressus, *i*) a *Tomyri* regina victus et occi-

---

a) Herodot. L. 4. c. 22. 26. 104. 109. Mela Pomponius. L. 2. p. 54. et 55. *b*) Plinius. L. 6. Strabo L. 11. Ptolomaeus Tab. Asiae. 7. *c*) L. 4. c. 22. *d*) Justin. L. 12. *e*) Justin. L. 1. c. 1. Diodor. Sic. L. 2. *f*) Plinius. L. 4. c. 24. *g*) Herodot. L. 1. Diodor. Sic. L. 2. c. 44. Justin. L. 1. c. 8. *h*) Herodot. in Melpone L. 4. Justin. L. 2. c. 5. *i*) Justin. L. 37. c. 3.

cisus est. Similiter Scythae cruenta bella quaquaversum circumferendo, etiam *Darium Hystaspem* magna clade *a*) affecerunt. Sed etiam illi a. M. 3860. a *Mithridate* Ponti rege *b*) magno praelio victi sunt; prout jam antea a *Philippo Macedone*, *c*) dein ejus filio *Alexandro M.* iteratis caedibus erant *d*) fatigati; non tamen existentiam et nominis celebritatem amiserunt; nam deinceps etiam, plane ipsi Romanorum Imperatores, ad infringendam Scytharum potentiam summo studio incubuerunt; sic: *e*) *Marcus Imp.* a. Ch. 180. non infeliciter contra eos expeditionem suscepit. Similiter *Licinius Valerianus* Imp. ut imperii limites extenderet, aut saltem conservaret, licet filium suum *Gallienum* sibi collegam constituerit, impedire tamen non potuit, quin Scythae ab anno Ch. 254. quatuor et amplius annis totam Asiam, et magnam Europae partem *f*) vastarent. Quos tandem *Marcus Aurelius Tacitus* Imp. moderatissimus in Cilicia compescuit. *g*) His tamen omnibus non obstantibus, Scythae deinceps quoque imperium suum in Asia retinuisse videntur, nam *Joannes Comnenus* Graecorum Imp. a. Ch. 1152. adhuc multa felicia bella cum Scy-

a) idem. L. 9. *b*) Curtius L. 8. Plutarchus in Alexandro. Justin. L. 11. *c*) Xiphilinus Joan. L. 71. *d*) Zosimus. L. 1. *e*) Vopiscus in Aurelium. c. 41. Zosimus. L. 1. *f*) Joannes Cinnamus. L. 1. c. 3. seq. Nicetas Choniat. in Joanne Comn: lege et Petavium. Ration. Temp. P. I. L. 2. c. 9. p. 94. item L. 3. c. 1. p. 115. et L. 5. c. 12. p. 286. *g*) Herodot. L. 5. c. 3.

Scythis gessisse traditur, *a*) qui etiam felici victoria eos et Turcos saepe superavit. Quibus modis sensim Scytharum vires attritae; tandem gentes diversae, sibi seorsim Principes elegerunt; assumtisque variis expeditionibus migrationi Gentium sub variis nominibus initium dederunt, et in occupatis jure armorum provinciis, novorum Regnorum conditores evaserunt. Ut suis locis videbimus.

Caput IX.

HISTORIA THRACUM.

§.1. *Geographico Statistica Notio. Thraces*, post Indos, omnium maximam gentem constituerunt, *b*) et si sub unius regis gubernio permansissent, aut communibus viribus idem sensissent, certo inexpugnabiles exstitissent. Limites Thraciae erant: ab oriente Pontus et Propontis; ab occidente fluvius Strymon; a meridie mare Aegaeum; a Septemtrione mons Haemus, per quem Thraces a Moesis separabantur. *c*) Thracum conditor fuit *Thiras* septimus *Japheti* filius, *d*) quorum regio nec coelo, nec terra laeta erat, sed frigida viros benignius alebat ac Scythia; ceterum tamen ad ferociam proni incolae, uti nominibus,

M ita

a) Joan. Cinnamus. L. 1. c. 3. seq. Nicethas Choniat. in Joan. Comneno, lege et Petavium. Ration. Temp. P. I. L. 2. c. 9. p. 94. Item L. 3. c. 1. 115. et L. 5. c. 12. p. 286. *b*) Herodot. L. 5. c. 3. *c*) Plinius. L. 4. c. 10. Pompon. Mela. L. 2. p. 55. latere. 2. (*d* Joseph. antiq. L. 1. c. 7.

ita et moribus maxime differebant *Getae* enim sunt feri et ad mortem paratissimi *a*) post quos; inter Thraciae populos occurrerunt *Cicones*, qui ad Ismariam urbem habitabant. *b*) *Bistones* ab urbe sic dicta vocati. *c*) *Edomes* maritimum; *Edomi* tractum mediterraneum incolebant. *d*) *Odrysarum* imperium magnitudine pertingebat ad mare, ab urbe Abderis ad Pontum Euxinum, ubi Ister fluvius in eum influit. *e*) *Aphitaei* celebres erant a cultu Ammonis. *Pallenes* praecipuas urbes colebant. *Sithonii* gens circa Pontis littora habitabat. *f*) *Pygmaeorum* gens in oppido Geraniae sedem habuit. *g*) *Paeones* ad limites Macedoniae sedes fixerunt. *h*) Thracia irrigabatur, praecipuis his fluviis; uti *Hebrum*, *Neston*, et *Strymona*. Montes autem habet: *Haemum*, *Rhodopen*, et *Orbelon*, item *Olympum*, *Athos* mons autem adeo est elatus, ut credatur altius quam unde imbres cadunt surgere. Urbes celebres erant: *Abdera*, *Dicaea*, *Maronaea*, cujus vinum ab insigni fortitudine laudatur. *Pallene*, item *Mende*, *Aphytis*, *Thrambus*, *Scione*, erant urbes Graecae: *i*) uti et, *Cardia*, *Ide*, *Paeon*, *Thasium* vero *k*) dupplex vinum habet, unum soporiferum, alterum quo fugatur somnus. Tardius

---

a) Mela L. 2. p. 56. *b*) Virgilius. Georg. L. 2. v. 37 *c*) Lucanus. L. 2. v. 163. Ovidius. L. 1. de Ponto. Eleg. 4. *d*) Lucanus. L. 1. v. 675. *e*) Thucid. L. 2. p. 166. *f*) Plinius. L. 4. c. 11. *g*) idem. ibid. *h*) idem. ibid. c. 10. *i*) Herodot. L. 7. c. 123. *k*) Aelian. L. 12. c. 1. Athen. L. 1. p. 31.

dius Thracia vocata est Romania, ubi Byzantium fuit aedificata; quae demum nova Roma dicta est, et hodie Constantinopolis. *a*) Thracum primus Rex ſerat *Lycurgus*, cujus successores etiam Regiam dignitatem conservantes, imperii ſines amplissimos reddiderunt. Temporibus tamen belli Trojani, ducem hahuisse videntur.

§. 2. *Religio et Mores.* Thraces in genere, *Martem Liberum*, et *Dianam* colunt; Reges insuper et *Mercurium*, ad quem etiam solum jurant. Feminae cum stipula triticea sacra faciunt *Dianae*. crediderunt autem omnes animae immortalitatem, easque transire ad loca beatiora; ideo natos, infantes lugebant, funera vero hilares cantu et lusu celebrarunt eo: quod defuncti ab omni malo jam liberati, fruantur aeterna felicitate; quare filiis suis continuo miserias hujus vitae narrando proposuerunt; quia vitam ex aliqua naturalis sapientiae disciplina in maximo contemtu habebant; consenseruntque facile ad voluntarium interitum. Item uxores, super mortuorum virorum corpora interfici pulchrum servarunt: plures uxores diligenter custoditas habuerunt; filiae autem non locabantur a parentibus, sed publice vendebantur, et quidem probae et formosae, pretio maximo. *b*)

M 2 §. 5.

---

a) Diod. Sic. L. 3. c. 65. *b*)Herodot. L. 5. c. 7. Pompon. Mela L. 2. p. 56. seq.

§. 3. *Politica, et Forma Regiminis.* Thraces ob coeli asperitatem, etiam saevam praeferebant indolem; nam teste *Thucydide*: *a*) Thracum gens simillima Barbaris, ubi quid audet caedis est avidissima, ideo otiari non putarunt esse inhonestum; agros parum curarunt, sed e bello raptibus vivere pulcherimum erat. Thraces ut diversas gentes constituerunt; ita singillatim propriis principibus subesse videntur. Regiam tamen viguisse dignitatem, antiquitas docet. Antiquissimus passim rex memoratur *Lycurgus* luporum insignis abactor. *Homerus b*) quidem mentionem facit *Rhesi* ducis, qui ad Trojam habuit equos currendo ventis similes, nive candidiores; sed hic probabilius non gentis, sed exercitus dux erat.

§. 4. *Status Belli et memoria virorum.* Thracum conditor fuit *Thiras c*) Septimus *Japheti* filius, cujus memoriam nomine suo conservavit *Tereus* rex natione Trax, infamis ob violationem *d*) *Philomelae* uxoris *Prochnes.* Regnavit *Tereus* ad fontes Megaridis, et supra Chaeroneam, qui sibi ipsi tandem violentas intulit manus: quive dum crederetur *Martis* fuisse filius, sub eo Thracia, ob bellicosos Thracum animos, *e*) inter validissimas Europae gentes, putabatur esse

---

a) L. 7. p. 509. *b*) In pr. Iliad. ν. et Iliad. κ. *c*) Josephus. antiq. L. 1. c. 7. Eusebius. in Chron. Gr. p. 12. *d*) Simson. ad a. M. 2601. *e*) Plin. L. 4. c. 11. Virgil. Aeneid. L. 3. v. 13.

esse terra *Martis*. Post quem *Lycurgus* Edonorum rex ad fluvium Strymonem inclaruit ob contemtum *Buchi*; quem regno suo ejecit, et simul nagavit eum Deum esse; imo in ejus contumeliam, quod a potu vini ebrius matri caedem intentasset; vites omnes excindere conabatur: *a*) quare *Bachus* Thraces pugna superando *b*) *Lycurgum* cepit, et oculis orbatum cruci affixit. Temporibus belli Trojani in Thracia celebris rex erat *Poltys*, ad quem dum Legati exquisitis muneribus tam a Trojanis, quam a Graecis venissent; summa cum justitia svasit *Paridi* ut *Helenam* Graecis redderet: ast alter Thracum rex *Polymnestor*, turpissimo exemplo jus hospitii in *Polydoro Priami* filio nefarie violavit. *c*) Quapropter longe fidelior fuit *Cissaeus* Thraciae rex erga *Iphidamantam Antenoris* filium. Dein memorabilis Thraciae rex fuit etiam *Tegyrius* ad quem *Eumolpus* cum filio *Ismaro* venerat, qui post detectas insidias ad Eleusinos fugit, ast post mortem *Ismari*, qui *Tegyri* filiam uxorem habuerat, *Eumolpus* denuo revocatur; et redintegrata amicitia *Tegyrio* etiam successit; qui Eleusinis contra Athenienses *d*) validum tulit auxilium. *Diomedes* Bistonum rex dicitur equas humana carne pavisse. *e*) Porro Thraces felicitate armorum celebres, etiam Trojanis contra Graecos, durante bello decennali, iteratis vicibus partim ob

---

a) Apollodorus. L. 3. p. 175. *b*) Diodor. L. 3. c. 65. *c*) Virgil. Aeneid. L. 3. v. 49. *d*) Apollod. p. 249. Pausan. Attic. c. 38. *e*) Apollod. p. 118. Diodor. Sic. L. 4. c. 15.

viciniam, partim ex foedere, auxilium duce *Acama*, *Piroo*, et *Rheso* tulerunt, *a*) sed satis infeliciter. Ceterum missis his obscuris temporibus, Thraces etiam deinceps potentes et formidabiles erant; nam *Philippus Macedo* ad suum firmandum imperium, etiam Tracum potentiam infringendam necessariam esse censuit: ideo valido cum exercitu contra eos profectus, feliciter etiam *b*) devicit. Porro etiam Romanos saepe fatigarunt Thraces; nam dum Romani bello Jugurthino et Cimbrico essent intenti, tunc Thraces Thessaliam et Dalmatiam incursantes, etiam exercitum Romanorum una cum eorum duce *Portio Catone*, magno prelio superarunt: *c*) quos tandem vagos et libera populatione diffusos, intra suam Thraciam repulit *Didius*; post cujus victoriam, Romani deinceps animati, duce potissimum *Lucullo* plane ad Tanaim pervenerunt, a quibus in captivos igne et ferro saevitum erat. Quo tempore nihil Barbaris Thracibus atrocius videbatur, quam quod abscissis manibus relicti, vivere cogebantur. — *Probus* autem Imperator ad a. Ch. 280. devictis prius Illyriis, Thraciam quoque, barbaris magna clade prostratis, sibi asseruit. *d*) Tandem Thracia circa an. Ch. 559. Hunnorum diras *e*) incursiones perferre cogebatur; a quibus et

a) Homerus. Iliad. β. v. 351. et Iliad. k. κ. 434. 559. Virgil. Aeneid. L. 1. v. 469. *b*) Diodor. L. 16. c. 82. *c*) Florus. L. 3. c. 4. *d*) Vopiscus c. 16. Zosimus. L. 1. *e*) Agathias. L. 5. Leonh. Aretinus. L. 4. de bello Goth.

et allis gentibus devastata et occupata Thracia, sensim antiquam nominis gloriam, et patriam appellationem amisit, novaque ibi regna, aut provinciae sunt erectae.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Sunt qui contendunt apud veteres Thracos neminem *a*) literas novisse; verum *Stabo b*) palam testatur: Thraces Boetiae accolas Helicona Musis dedicasse, sicut et antrum Nimpharum Libethriadum, ubi antiquae Musae operam navarunt Viri celeberrimi origine Thraces, uti: *Orpheus*, *Musaeus*, *et Thamyris.* Et quidem *Orpheus* Trax, filius *Oeagri*, rerum praestantissimarum notitia, praeterea cantandi, et componendorum Versuum peritia adeo excelluit: ut modulatissimis Carminum sonis, non modo homines, sed et feras, imo lapides et arbores delinire crederetur, *c*) qui insuper putabatur invenisse Deorum initia, malarum actionem expiationes, *d*) morborum remedia, et iratorum Numinum placationes; qui etiam scientiis addictus, eximiam sibi Scientiam comparavit in antiquorum Theologia: evitare tamen insidias mulierum non potuit, quod ipsarum viros, hinc inde oberrans secum traheret. *e*) Ejus di-

---

a) Androtion. ap. Aelianum. L. 8. c. 6. *b*) L. 10. p. 52. 53. *c*) Apollod. p. 8. Diodor. L. 4. c. 25. Ovidius. Metam. L. 11. f. 1. Pausan. in Boeotic. c. 30. *d*) Lucian. L. de Astrolog. Pausan. in Boeot. c. 30. *e*) Virgil. Georg. L. 4. v. 516. seqq. opiniones varias de Orpheo, vide ap. Illust. Huetium Demonstr. Evang. proposit. 4. c. 6. §. 19.

discipulus fuit *Musaeus*, *Eumolpi* filius *a*) summus Theologus, qui primus Deorum generationem versibus tradidit, et Sphaeram invenit. *Thamyris* autem infelix certamen habuit cum Musis, *b*) a quibus oculorum luce privatus est.

Caput X.

HISTORIA LYDORUM

§. 1. *Statistico Geographica notio.* Lydia ab ortu habet vicinam Phrygiam; a septemtrione Mysiam; a meridie Cariam. Regio haec olim *Moeonia* fuit appellata, et celebrata quondam a *Croesi* fortuna et rebus gestis, tum *Pactoli* fluvii fama, aurum trahentis. *c*) Metropolis est *Sardes* olim *Hyde* dicta, in qua habitabat *Omphale* Lydorum Regina. Celebris erat et urbs *Philadelphia* terrae motibus obnoxia: *d*) item *Thyatira* antea *Pelopea* dicta. Mons celeberrimus est *Tmolus* antea *Timolus* dictus, vitibus consitus *e*) et croco florentissimus, ex cujus praeterea auri ramentis, maximus *f*) proventus regionis erat. Inter fluvios primum obtinet locum *Pactolus g*) a

---

a) Eusebius. num. 747. ad annum 15. Gedeonis. de cujus patre diversae sunt opiniones. ap. Diodor. L. 4. c. 25. *b*) Homerus Iliad. *β*. p. 101. seqq. Apollod. p. 11. *c*) Pompon. Mela L. 1. p. 13. *d*) Strabo. L. 12. p. 233. *e*) Plin. L. 5. 29. Solinus Polyhist. c. 40. *f*) Herodot. L. 1. §. 93. *g*) Plin. L. 5. c. 29. Strabo L. 13. p. 312.

a Timolo monte fluens, olim multa auri ramenta deferebat, et ideo *Chrysorrhoas* vocabatur, ex quo *Croesus* ejusque majores, magnas suas opes perceperunt; verum hodie hujusmodi auri structurae prorsus defecerunt. *Pactolus* in *Hermum*, in quem etiam *Hyllus* qui alias *Phrygius* appellatur, aquam immittit. Memoratur praeterea et fluvius *Caystrus* Cygnis abundans. *a*) Mercaturam valde exercuisse videntur, quoniam Lydi primum lanas inficere coeperunt; prouti et numum aureum ac argenteum ad utendum percusserunt, *b*) imo et primi caupones exstiteruntu: unde etiam luxu et deliciis Lydia gens *c*) famosa evasit; quae primo pomaria exstruxisse, et in hortos secedens, delicatius umbras quaesivise, voluptatibusque succubuisse creditur: *d*) quo vitio aut quaestu, earum filiae dotem tantisper colligere consveverunt, donec nupsissent. *e*)

§. 2. *Status Religionis, et Consvetudinis.* Lydi, matrem Deorum *Cybelem* maxima religione coluerunt, quam in monte *Cybelo* a ferocissimis bestiis educatam fuisse crediderunt, *f*) quae dum adolevisset, forma, ingenio et continentia excellens, fistulam, cymbala et choreas invenit; pecorum vero et infantum morbos variis purgationibus abigere docuit. In *Hiero-Caesarea* et so-

---

a) Ovid. L. 5. Trist. Eleg. 1. *b*) Plinius L. 7. c. 56. *c*) Atheneus. L. 15. p. 690. *d*) idem. L. 11. p. 515. *e*) Herodot. L. 1. c. 93. item et Aelianus. Hist. variae. L. 1. p. 307. sed post copulationem summam continentiam servasse contendit. *f*) Diodor. in Dea Syr. Lucian. p. 663.

Hypaepo urbibus celeberrima habuerunt templa cum cellis et aris, quo Magus ingressus invocare solebat Deum, et libro recitans carmen barbarum lingva ignota, *a*) ubi sponte sua e lignis nullo admoto igne, purissima emicabat flamma. Generatim sicut Lydi Deam *Cybelem* pro supremo Numine coluerunt, ita omnes in ejus gratiam ad extremum animis prorsus effeminatis, muliebrem vitam sunt amplexi; *b*) hinc luxuriosi, impudici, hortorum studiosi evaserunt. Multo tamen turpior erat eorum consvetudo castrandi feminas, *c*) quam *Adramyten* Lydorum rex induxerat, ut illis Eunuchorum loco uteretur. Quae simul insignes Cantatrices, et *d*) alimentum luxuriae erant.

§. 3. *Status Politicus et Forma regiminis.* Lydi a *Ludo Semi* filio *e*) originem ducunt, qui alias etiam *Moeoni* vocabantur; a rege celebri, qui apud eos *f*) regnabat. Gens Lydorum initio statim legibus fere Graecorum similibus utebatur; nisi quod filias suas *g*) prostituerint. Inclaruit hic praeceteris *Omphale*, *Jordanis* Lydorum regis filia, amoribus fortissimi viri *Herculis* irretita, *h*) quem etiam tori consortem adopta-

---

a) Pausan L. 5. c. 27. *b*) Aelian L. 11. p. 515. *c*) Xanthus Lydius. L. 2. Athen. p. 515. *d*) Clemens Alex. Strom. L. 1. p. 307. Athen. L. 14. p. 634. *e*) Bochart. Phaleg L. 2. et 12. *f*) Diodor. L. 3. 58. *g*) Herodot. L. 1. 94. Aelian. hist. Var. L. 4. c. 1. *h*) Diodor. L. 4. c. 31. Aoollod. L. 2. p. 135.

ptavit; ex quo conjugio nati Heraclidae, *a*) qui deinceps in Lydia regnarunt per quingentos quinque annos, et per viginti duas Virorum aetates tenuerunt; filius patri deinceps succedens usque ad *Candaulem Mysi filium.* — *Xanthus Lydius* antiquitatum peritus, dicit quidem: quod *Atyos* duos relinquens filios *Lydum* et *Torybum*, inter quos paternum imperium dividens, deinceps gentibus dominando praefuerint. Ceterum *Candaules b*) Heraclidarum ultimus, a *Gyge* vita privatus, eundem *Gyge* successorem habuit; qui demum ex novo matrimonio, suscepto Filio *Ardyimo* regnum reliquit hereditario jure, quorum ultimus erat *Croesus c*) a *Cyro*, Persarum rege victus; sub quo et Lydia in potestatem Persarum venit.

§. 4. *Status Belli et memoria Virorum.* Etsi primorum Lydiae regum facta multis fabulis, voluptatibus, et deliciis obscurata sint, tamen fortitudinis laude privari non possunt: nam hi ante *Samsonem* Israelitarum judicem, mare obtinuerunt, *d*) et laeti in praelia exiverunt adversus hostes cum fistulis et tibiis; quo felici armorum successu animati, ad a. M. 2685. cum *Pelope* duce *e*) in Peloponnesum descenderunt. An autem ob annonae defectum duce *Tyrrheno* etiam

---

a) Herodot. L. 1. c. 7. *b*) Herodot. L. 1. Justin. L. 1. c. 7. Plutarch. Sympos. L. 1. quaest. 5. de annulo Gygis. Plato. de Rep. L. 2. *c*) Justin. L. 1. c. 7. Aul. Gellius L. 5. c. 9. *d*) Euseb. num. 840. Athen. L. 12. p. 517. *e*) Athen. L. 14. p. 625.

etiam in Italiam coloniam duxerint, *a*) dubium est. Lydiae reges ex Heraclidarum gente regnantes celebriores vicinis gentibus evaserunt; quoniam hi milites in turmas diviserint, eosque hastis longis, *b*) aliisque armis, Graecis similibus instruxerint. Ultimus Heraclidarum fuit *Candaules*, qui tabulam praegrandem *Bularchi* Pictoris, quae praelium duorum populorum scite expressum continebat, auro rependit: ut suam potentiam et divitias manifestius ostentaret. Quae summa vanitas paulopost ei thronum et vitam ipsam rapuit; quum enim praeterea etiam in possessione esset optimae; formosaeque uxoris, non tamen se satis felicem existimavit, nisi alii etiam ejus felicitatem palam admirarentur; Uxorem proin more Asiatico semper clausam servans, eam vice quadam *Gygi* familiari suo videndam exhibuit; quo facto femina se prostitui putans, mox vindictam de marito sumere cogitavit; quare cum *Gyge* operam suam conjungens, in mariti vitam conspiravit, a quo a. M. 3239. vita privatus *c*) *Candaules* stultitiae suae victima cecidit; cui in regno et matrimonio successit *Gyge*, qui novam regum stirpem condendo, filium *Ardyim* sucessorem reliquit, cujus aetate ad Bosphori Littus; a *Byzante* Megarensium rege-

---

a) Dionys. Halicar. A. R. L. 1. p. 22. *b*) Herodot. L. 1. c. 171. et L. 7. c. 74. *c*) Herodot. L. 1. Justin. L. 1. c. 7. Plutarchus. Sympos. L. 1. qu. 5. de annulo Gygis. Plato. de Rep. L. 2.

ge *Byzantium* Urbs *a*) condita est. Post *Ardyim Gygis* filium a. M. 3321. regnum adiit *Sadyattes*, *b*) quem filius *Alyattes c*) excepit; qui Cimmerios Scytharum metu ex Chersoneso profugos, atque ex Paphlagonia Lydiam incursantes, tota Asia expulit; postea vero sex annis cum Scythis bellum gessit, quod repentina solis obscuratione terminatum est. Tandem hic post 57. annorum imperium, a M. 3388. filio suo *Croeso d*) Regum Lydiae ultimo regnum reliquit. *Chroesus* hic imperii fines ita auxit, ut a Mari Aegaeo ad Halim fluvium extenderetur: qua armorum felicitate, acceptoque oraculi *Delphici* responso animatus, *Cyrum M.* qui *Astiagem* Medum jam regno privaverat, antequam magis invalesceret, sibique formidabilis evaderet, opprimendum statuit; quo infausto consilio Cappadociam provinciam adortus, mox cum occurrente sibi *Cyro*, anceps praelium ad seram usque noctem commisit, atque postridie adversario adhuc castra tenente, ad majores copias contrahendas domum discessit; hyeme, quae instabat, nihil a *Cyro*, metuendum ratus. Verum *Cyrus* paulopost *Sardes Croesi* regiam obsidet, et Lydis, qui se pugnae obtulerunt profligatis, Urbem cum *e*) *Croeso* cepit. Ubi *Croesus* a victore irato ad rogum con-

---

a) Euseb. in Chron. *b*) Herodot. L. 1. *c*) idem. ibid. multa notatu digna refert. *d*) idem ibid. Justin. L. 1. c. 7. Aul. Gallius L. 5. c. 9. *e*) Herodot. L. 1. Justinus. L. 1. c. 7. Frontinus L. 1. c. 5. L. 2. c. 4. et L. 3. c. 8.

condemnatus, quum ter *Solonis* nomen flebiliter implorasset; cujus sententia erat: *neminem ante mortem beatum esse:* causa rei sciscitanti reddita, mox et vita donatus, et deinceps humanissime ab eo habitus est. Lydi paulo post rebellarunt, quibus propterea *Cyrus* extremam perniciem et servitutem decrevit; sed a *Croeso* persvasus, ut eos in fidem receptos, tantum armis uti vetaret, ac deinceps eos tantum ludicras artes exercere juberet. Quo facto antea bellicosissima gens, sensim penitus effeminata reddita est. Unde discere possumus: non solum bella esse, quae nationes perdunt; sed etiam pacem, qua venena perimentia combibuntur.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Lydos variis scientiis fuisse deditos, manifeste loquuntur eorum ingeniosa inventa; nam animi recreandi caussa, a Romanis institutorum *Ludorum*, inventores fuisse Lydos; *Herodotus* adnotavit; *a*) et causam annonae necessitati tribuit sic: inventum aleae, tesserarumque ludum et pilae, ceterorumque ludorum omnia genera, praeterquam calculorum; videlicet ad discutiendam famem, ne de quaerendis cibis cogitarent. Praeterea hi, primi eorum, quos novimus, numum aureum argenteumque ad utendum percusserunt. Ceterum tamen signatio numorum tardius invaluit. *b*) Ita etiam lanas inficere, Sardibus, Lydi primum coeperunt.

a) L. 1. c. 94. *b*) Sperlingius. de numis non cusis p. 6. seq.

perunt. *a*) Invenerunt item diversa ungventorum et condimentorum genera. *b*) Celebrabantur etiam de igne Magico; ut in religione eorum vidimus. *c*) Demum quod praeterire nonpossum, inclaruit apud eos sic dictus *Lapis Lydius*, inveniri olim solitus in monte *Tmolo*, quo lapide ut infallibili experimento statim dixerunt: quantum in aliqua metalli vena sit auri, quantum argenti, aut aeris, *d*) scrupulari differentia mirabili ratione non fallente. Crescebat insuper ibi herba purpureis floribus *Chrysopole* dicta, cujus examine vicinarum urbium incolae purum aurum probarunt.

*) De *Moesiis* et *Caribus* observandum erit, eos fuisse Lydorum Consangvineos, nam *Lud* et *Aram* erant *e*) fratres, nomen obtinuerunt a Fago copiose crescente circa Olympum. *f*) Lydi vero fagum *Mysen* vocant. Moesiae initium antiquus Troadis finis, et flumen Etheleum. *g*) Dividitur in Majorem et minorem. *h*) *Major*, urbes habet *Antandrum Adramitum*, *Pergamum*, *Alyddam*. Montes *Cimaeum* et *Olympum*. Fluvium *Rhydacum*. Tempore *Strabonis* ad Olympnm *i*) nulli erant habitatores. — In Minore Moesia urbes erant: *Dardanum*, *Cizicus*, *Lampsacus*, *Abydus*. *k*) Fluvii *Aesipus*, *Granicum*, et *Simois*. Mons *Ida* a *Paridis* amore celebris. Incolae ex Europa transiverunt, *l*) erantque diversi, uti: *Mygdonae*. *Mariandyni*, *Abbret-*

---

a) Plinius. L. 7. c. 56. *b*) Athen. p, 516. *c*) Pausan. L. 5. c. 27. *d*) Plinius. L. 33. c. 8. *e*) Gen. c. 10. v. 22. Herodot. L. 1. c. 171. *f*) Strabo. L. 12. *g*) Plin. L. 5. c. 32. *h*) Ptolomaeus. in Tab. 1. Asiae. *i*) Strabo. L. 12. p. 226. *k*) Plin. L. 5. c. 32. *l*) idem. ibid. c. 30. et 32. Strabo. L. 12.

brettiri, *Hellespontii* et alii ignobiles. Quod ritus et mores *a*) attinet: religioni indulgentes abstinuerunt, melle, lacte, et caseo vescebantur, tranquillam vitam duxerunt, et Deorum cultum in templis exercuerunt. Mysos post captam Trojam imperavisse, *Strabo b*) testatur; quorum praecipui reges erant: *Arimus*, *Teuthras*, *Telephus*, qui duos reliquit filios, nempe *Tarchontem* et *Tyrrsenum*. qui a vicinorum incursionibus male vexati erant. *c*) De Caribus aeque consulendi sunt *Herodotus d*) *Athenaeus e*) etc.

Caput XI.

SARMATAE alias SAUROMATAE.

§. 1. *Sarmatae* juxta Scythas vicinam tenuerunt regionem, quos *Herodotus f*) trans Tanaim primos collocat, et a palude Meotidis versus aquilonem habitarunt vacuum tractum arboribus frugiferis et agrestibus, itinere 15. dierum: supra quos *Budini* omni genere arborum abundantem terram colebant; supra quos demum *Thyrsagetae Turcaeque* vastas silvas tenebant. Num autem *Sarmatae* ex Media Asiana sive pulsi, sive sponte demigraverint incertum est adeo; ut etiam *Herodoti* hac in re sententia a vero alienior

---

a) Strabo. L. 7. p. 541. *b*) idem. L. 12. p. 211. *c*) Diodor. L. 4. c. 33. Appollodor. L. 2. q. 142. Plato. T. 1. p. 209. *d*) L. 1. c. 171. seq. *e*) L. 15. p. 676. Mela. L. 1. fol. 41. Strabo. L. 7. p. 588. seqq. Pausan. L. 1. c. 35. Plinius. L. 7. c. 56. seqq. *f*) L. 4. c. 21. et 22.

nior evadat est necesse; quoniam et ejus aetate, et ante ipsum, genus Medicum jam in Thracia deprehendatur. Sarmatarum conjuges *Amazonas* antiqui Scriptores ad Pontum, aliisque locis consedisse tradunt; ac proin Gens inde per Bosphorum juxta Ponti oras profecta, versus Septemtrionem contendisse videtur; unde illis *Borealium Medorum* sive *Sauromatarum* nomen adhaesit. — *Religionem* cum Scythis aequalem habuisse videntur, prout et consvetudines. Quo ad *Politicum* vero *Statum* eorum, inter plures propagines, duae potissimum nobiliores celebrantur, nempe *Roxolani* et *Jazyges*. Quae utraque Gens post Scytharum migrationes, a Tanai usque ad Istrum sedes sibi occupavit; imo successive Jazyges ad Tibiscum usque et Carpathicos montes; Roxolani autem inter Borysthenem et Tyram pervenerunt, qui tandem a Gothis victi, iisque tributum solvere coacti sunt eousque, donec Hunni Scythicas suas sedes mutando, novis rerum convulsionibus occasionem praebuissent. *Roxolani* Gothis contermini, paulopost juxta *Plinium* Venedorum nomen; juxta *Jornandem* vero Slavorum nominationem obtinuerunt. Atque sic sensim Sarmatarum nomenclatione intermittente, *Alanica* coepit florere cum variis additamentis; unde complures gentes affines, linguas etiam suas magis minusve consimiles mutuarunt, sensimque inclarescere coeperunt; ut in Slavicis Historiis percensebimus.

§. 2. *Sarmatae* etiam bellica virtute magnum sibi nomen pararunt, dum Germanicae originis populis Marcomannis et Quadis ad medium Seculi II. auxilio venissent contra *Marcum* Imperatorem Rom. qui etiam *a*) Italiae devastatione Imperatorem nimium terruerunt. Quorum tamen temerarias populationes a. Ch. 280. in Rhaetia et Illyrico *b*) *Aurelius Probus* Imp. tantisper conpescuit; quos demum *Aurelius Carus* virtute filiorum suorum a. 283. in Pannonia *c*) profligavit; *Diocletianus* vero eorum impetum *d*) adeo fregit, ut *Galerius* contra eos felici exitu proficisceretur. *e*) Tandem *Constantinus M.* a. 327. Sarmatas horribili clade devictos in servitutem redegit: *f*) qui demum jugum excussuri rebellantes, a *Constantino g*) internecione caesi sunt.

Ca-

---

a) Eutropius. L. 8. item Xiphilinus. L. 71. Dionis. Cass, Item Jul. Capitol. in Marco. c. 21. 22. *b*) Vopiscus. L. 16. Zosimus L. 1. *c*) Vopiscus in Caro. c. 8. Eutropius L. 9. *d*) Orosius L. 7. c. 25. *e*) Eutrop. L. 9. *f*) Eusebius in vita Constantini L. 4. c. 5. 6. *g*) Ammian. Marcell. L. 17. c. 13.

Caput XII.

PHRYGIA MAGNA ET PARVA, *alias* TROJA.

§. 1. *Geographico Statistica notio.* Phrygia significat Graece *terram exustam*, *a*) quam regionem olim sive coelesti igne, sive exhalationibus, aut aestu solis arsisse *b*) probabile est; cujus regionis etiam Sacrae Literae *c*) saepe faciunt mentionem. *Phrygia* alia vocabatur *Magna*, *d*) cujus Rex erat *Midas I.* et ejus regnum brevi Galatae occuparunt. Alia *Parva*, quae Helesponto imminebat circa Olympum. Secundum *Plinium* *e*) Phrygia Major fines habuit a septemtrione Galatiam; a meridie Lycaoniam, Pisidiam et Mygdoniam; ab oriente Cappadociam. Opida celebria habuit: *Apaniam*, *Ascaniam*, *Ancyram*, *Andriam*, *Celaeam*, *Colossam*, *Carinam*, *Jeonium* etc. Fluvii praecipui erant *Maeander*, *Masyas*, *Caystrus*. Mons praecipuus erat *Sipylus*. Phryges originem ducunt a *Gomero*. *Strabo* *f*) tamen et *Plinius* Thracum *g*) genus esse contendunt: quibus jam *Herodotus* *h*) longe praeivit, dicens: Phryges (ut Macedones ajunt) tamdiu vocati sunt Briges, quamdiu Europaei fuerunt

 Ma-

a) Diod. Sicul. L. 3. c. 70. *b*) Strabo L. 12. in fol. et L. 13. p. 316. *c*) Lucae. c. 2. v. 10. Actorum. c. 28. v. 3. *d*) Strabo. L. 12. *e*) L. 5. c. 32. *f*) L. 7. p. 540. *g*) L. 5. c. 32.

Macedonum accolae; transgressi autem in Asiam una cum loco nomen immutaverunt in Phryges. — *Phrygia Minor* alias vocabatur *Troas* quae erat imperii Assyriaci *a*) pars, honorata adventu S. *Pauli* Apostoli. *b*) Praeter *Troam*, urbes alias Graecas habuit: *Dardanum*, *Rhoeteum*, et *Ilium*. Fluvius praecipuus erat *Scamander*, seu *Xanthus*, ubi sponsae nupturae semet abluere solebant. Regnum hoc finem accepit in famosissimo bello Trojano circa annum M. 2757. quod etiam Graecorum viribus terminatum est, ut in Bellis videbimus.

§. 2. *Status Religionis, et consvetudinis.* Phryges *Cybelem* matrem Deorum maxima veneratione colebant; *c*) unde et *Dea Phrygia* vocatur. Similiter et Solem sub nomine *Attinis*, ornabant fistula et virga. *d*) Sacrificabant praeterea Lunae et Baccho. *e*) Porro Matri Deorum sacra instituta primo erant *f*) ab ipso *Dardano*, quae per universam Phrygiam observabantur; idem induxit et imagines, sive palladia; quoniam ex oraculo intellexisset incolumen fore urbem quamdiu palladium cum ceteris muneribus Uxori a Minerva donatis teneret. *g*) Quod palladium dein ab *Aenea* ex Troja in Italiam transportatum est.

Mi-

a) L. 7. c. 73. *b*) Strabo L. 2. Plinius L. 3. de leg. *c*) Actor. c. 16. v. 8. 11. et Corinth. c. 2. v. 12. *d*) Julianus in Epist. 21. Virgil. Aeneid. L. 6. v. 780. *e*) Macrob. Saturnal. L. 1. c. 21. *f*) Pausan. L. 7. c. 19. Virgil. Aeneid. L. 6. v. 512. *g*) Dion. Halicarn. Antiq. Rom. L. 1. p. 50.

Ministri *Cybelis* vocabantur *Corybantes*, quod soli illi haberent jus ad Deam accedendi: qui demum et ipsi a Phrygibus *a*) colebantur. Hi ministri alias vocabantur et *Galli*, a fluvio Gallo, ad quem, praeterlabentem olim *Orgia* celebrabant; a quo etiam evirati Deae Sacerdotes *b*) *Galli* cognominabantur; qui festum Deae saltantes et cantantes *c*) agebant. — Phryges potissimum inclaruerunt a ritu foederis inviolabiliter observando; prout Graecorum fidelissimi foederati per decem annos exstiterunt; Ritus foederis teste *Homero d*) cebrabatur per praecones, qui vinum in cratere miscebant, et aquam manibus Regum affundebant; tum *Agamemnon* accepto cultro pilos ex capitibus agnorum abscindens, inter Trojanos et Achivos Principes distribuit, ac elevatis manibus clara voce dixit:

Jupiter alme pater, praeses venerabilis Idae,
Omnia quique undis, Sol auree, et omnia spectas,
Et fluvii, et tellus, et qui punitis in orco
Foedifragos homines poenis post fata severis:
Vos testes sitis, servateque foedera fide.

Post haec, Diis immortalibus supplicatum est, et tam e Trojanis, quam et Graecis unus alta voce dixit:

Ju-

---

a) idem. ibid. *b*) Clemens Alex. p. 11. *c*) Herodianus. L. 1. Lucian. Dea. Syr. p. 663. *d*) idem T. 1. p. 788. *e*) Iliad. ν.

Jupiter alme parens, et cetera Numina coeli,
Foedera qui nostrum violent percussa priores,
Illorum celebrum in terram vini effluat instar. ect.

Trojani tamen primi foedus fregisse dicuntur. Ceterum crediderunt jam olim Trojani malas hominum actiones Divinae providentiae subesse; quare etiam tardius haud difficulter Salvificam Christi Doctrinam adoptarunt, S. *Paulus* enim ct *Silas* Phrygiam et Galatiam peragrantes, licet prohibiti ab ulteriore praedicatione *a*) Verbi Dei, tamen paulopost illuc reversi, *b*) confirmarunt omnes Discipulos.

§. 3. *Status Politicus, et Forma Regiminis.* Phrygia ut erat pars imperii *c*) Assyriaci, ita Ilio, finitima loca colentes, Assyriaco imperio semper confidentiores, facile eorum auspiciis potentiam suam extendere poterant; quo brevi factum est, ut ad accuratiorem gentis gubernationem, Phrygia divideretur in Majorem et Minorem ita: ut utrique regno deinceps distincti praeessent Reges; qui tamen eo fere modo, ut hodie nos magnum regem reformidamus; ita et illorum temporum homines, potentiam Assyriorum tantis viribus conjunctam, ob respectum et dignitatem verebantur; unde *Diodorus d*) non abs fundamendo addit: *Priamum* Troadis Regem, et regni Assyriaci clientem, a *Teutamo* per legatos auxilium petiisse et obtinuisse; unde patet

---

a) Actor. c. 16. v. 6. *b*) Actor. c. 18. v. 23. *c*) Plato. L. 3. de Leg. *d*) Diod. Sicul. L. 2. c. 22.

tet Phryges tempore belli Trojani, Assyriorum Clientelares exstitisse.

§. 4. *Status Belli, et memoria Principum.* Phryges, antiquissimis nationibus adnumerantur. E regibus Majoris Phrygiae memorabiles erant; *Gordius* ex agricola rex factus, qui inexplicabile illud vinculum in plaustro suo nexuerat; quod dein ab *Alexandro M.* dissectum aut soltum fuisse traditur. — *Midas* rex, praedivites fodinas detexit, cujus metalli quum tantum haberet copiam, ut plebem in admirationem raperet, factum est: ut dum populus causam ignoraret, genio suo, fictam potius quam aliquam habere voluerit; unde adagium enatum est: *Midas omnia quaequae tetigit, in aurum fuisse versa.* Nec aliud longae ejus aures in picturis significare videntur, quam eum per occultos exploratores, omnia, quae in regno agebantur mox rescivisse. Hinc patet secretam Politiam jam antiquam esse, et quidem necessariam. — *Midas* IV inde celebris est, quod dum apud se hospitem haberet *Croesi* filium, eumque in venatione loco ferae incautus occidisset; ut patrem ejus placaret; cumque ipse filiis careret, regnum suum, *Croeso* sponte cederet: sicque Phrygia Magna post ejus mortem in Lydorum venit potestatem.

Phrygia parva alias *Troas* appellabatur, ubi antiquissimus rex fuit *Teucer a*) qui ex Creta in

---

a) Simson· ad A. M. 2526. Strabo. L. 13. p. 276. Dionys. Halicar. L. 1. Antiq. Rom.

in Phrygiam navigavit circa *Mosis* tempora; qui etiam terram illam, magnam et frugiferam, sed in colis non abundantem, *a*) brevi frequentiorem et cultiorem reddidit. Huic in regno successit filius *Dardanus*, qui ad Helspontum *b*) centesimo vigesimo anno *Mosis*, condidit urbem *Dardaniam*; regnante apud Assyrios *Amynta*, apud Argivos *Sthenelo*, apud Aegyptios *Ramasse*. Hic *Dardanus* omnium hominum fertur fuisse fortunatissimus, *c*) quod et in Patris, et in avi materni ditiones, hereditario jure successerit. *Tros* vero *Erichtonii* filius ut regnum adeptus est, mox sub *Ida* monte urbem *Troam* condidit; et regionem eam *d*) a se ipso *Trojam* nuncupavit: tres habuit filios, nempe *Ilum*, *Assaracum* et *Ganymedem*. Omnium celeberrimus erat *Priamus* rex, cujus filius *Paris* alias *Alexander* in Peloponnesum veniens, *Menelai* Spartanorum regis uxorem *Helenam* Graecarum mulierum pulcherrimam rapiendo, facem belli Trojani, ad an. M. 2757. accendit. *e*) Troja a Graeciae principibus decem annis oppugnata, virtute vero *Hectoris* alterius filii *Priami* fortiter defensa;

---

a) Appollod. p. 220. Diodor. Sicul. L. 4. c. 77. et L. 5. c. 88. Dionys. Halicar. p. 50. *b*) Cyrill. Alexand. L. 1. c. Julian. p. 11. *c*) Dionys. Halicar. Antiq. Rom. L. 1. *d*) Appollod. L. 3. p. 221. *e*) Juxta Calvisium. Boxhornius enim ponit ad an. M. 2779. Simson. in a. 2812. Usserius refert ad a. 2820. ceterum annus captae et deletae Trojae, recentioribus et vetustioribus, dubius est,

sa; tandem seu proditione *Aeneae* et *Antenoris* qui liberum aditum pacti, portas noctu aperuerunt; seu dolo *Ulyssis* eversa est, sicque Trojanum in Asia regnum finem accepit. *a*) *Paridis* exemplum docet: quod affectus Principum saepe regnorum ruinam post se trahere soleant. — Interim post *Homeri* monumentum jam olim complures erant, qui dubitarunt bellum hocce Trojanum aliquando exstitisse. Ceterum licet, *Homerus* Poeta, multa poetice scripserit; nihilominus tamen ejus scripta multas etiam veritates inse complectuntur; nam I. tales populos enumerat, quos reipsa exstitisse scimus. II. multi scriptorum Romani et Graeci, *Homerum* nonnunquam vera scripsisse agnoverunt. Imo Comes *Arundeliae* Anglus in Graecia multa antiquitatis monumenta collegit, in specie marmoreas tabulas, quae modo in Universitate Oxoniensi existunt; in quibus chronologice insculpta habentur facta a *Cecropis* tempore; ipsiusque Trojae excidium memoratur. III. *Alexander M.* in Afiam veniens, rudera magnae Trojae inspexit, generosique *Achillis* sepulchrum visitavit. Praeterea certum est, non paucas gentes *b*) origines suas a Trojanis exulibus deducere consvevisse, uti *Aeneas* post varios errores in Italiam de-

---

a) Dio Chrisostomus in dubium vocat, in orat. de Ilio non capto. Quem refutat Theod. Ryckius. in Diss. de primis Italiae incolis. *b*) Ordinem talem Dionys. Halicarnasseus, et Eusebius habet, licet Livius aliter exponat.

delatus Regnum Latinorum condidit, et in eo *Ascanium*, *Sylvium*, *Aeneam Sylvium Latinum*, *Albam*, et *Capetum* Successores habuit.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Phryges in genere, ingenio stupidiore fuisse perhibentur, unde etiam proverbium invaluit: *Sero sapiunt Phryges; et Phryx nonnisi plagis sapit:* quoniam de reddenda *Menelao Helena* post multas clades acceptas, decimo nisi anno deliberarent. Ceterum tamen praeclara eorum inventa silentio praeterire non possumus; nam haec natio primum bigas injunxit. *Midas* vero geminas tibias, modulosque Phrygios *a*) invenit. Hi denique erant primi, qui vestes acu intexere sciverunt, *b*) ideo hujus artis periti Phrygiones sunt appellati. Unde etiam *Socrates* recte judicavit, Phryges laboriosos *c*) fuisse ut serviles.

Caput XIII.

MONARCHIA PERSARUM.

§. 1. *Geographico Statistico notio.* Persarum sive Sophorum imperium sicut olim celebre, ita et hodie clarum est; incolae initio *Elamitae*, dein *Persae* a Perside, demum *Sophiani* a *Sophi* Principe dicti sunt. Persarum vetus patria erat Persis, ho-

---

a) Plinius L. 7. c. 56. Clem. Alex. L. 1. p. 307. *b*) Plin. L. 8. c. 58. *c*) Aelian. Hist. Var. L. 10. c. 14.

hodiernae Persiae pars ad Sinum Persicum, Cambajae regnum, et mare Caspium sita. Itaque ab ortu habet Indos, a Septemtrione Tartaros, ab occasu Turcas, a meridie sinum Persicum. Regio haec in tota Asia est saluberrima, aspera, nec ubique fertilis; animalium tamen non solum benigna mater, sed et solicita nutrix: abundat enim tritico, hordeo, milio, etc. Metallis quoque et lapillis pretiosis affluit. Gens Persarum antea obscura, initium nominis ac celebritatis a *Cyro* rege accepit, qui Medis *a*) et Lydis ademtum imperium primus in Persidem intulit, et ex tenuissimis initiis florentissimum redididit a. ante Ch. 538: Quo in statu res Persicae manserunt 230. annis, sub variis Monarchis usque ad *Darium Codomannum*, qui ab *Alexandro M.* victus vitam cum imperio amisit. *b*) Populus initio partim agriculturam, partim pastoriciam vitam agebat; victus omnium erat simplex, amictus vero ex pellibus. Sed postquam *Cyri* ductu vastum imperium, opesque parassent, splendida Medorum veste uti, imo luxu ac deliciis corrumpi coeperunt. Urbes olim celebres erant: *Ecbatana*, *Ninive*, *Susiana* seu *Cusistan*, *Pada*, *Ara* hodie *Diarbecha*; *Orfa*, *Caramil*, *Merdin*, *Mosus*, *Persepolis*, hodie *Siras*, *Hircana*, *Masandra*, *Antiochia*, *Candabar* etc. Fluvios habet in diversis provinciis celebres, uti *Canae*, *Ara-*

---

a) Herodot. L. 1. Justin. L. 1. c. 5. 6. *b*) Curtius. L. 4.

Araxem, *Cirum*, *Tigrim*, *Eneleum*, *Euphratem*, *Oxum*, *Arium*, *Margim*, *et Ochum*. Montes sunt *Orontes*, *Coronus*, *Taurus*. Opera publica multa et celebria in hoc regno erant superba, potissimum in Babylonia, uti horti pensiles. etc. Reges eligebantur jure hereditario ex eadem familia, et legum erat Sancta observantia, apud quos jam olim fervebant mercimonia unionum, Margaritarum, aromatum, maxime vero serici, cujus hic maxima fuit copia, unde artes Mechanicae, imprimis sericorum pannorum textura apud eos et olim et nunc viget, et in omnes orientis regiones maximo emolumento distrahuntur. *a*)

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis Gentis*. Persas totum coeli ambitum veneratos fuisse, divinitatumque loco, soli, lunae, telluri igni, aquis sacrificavisse *Herodotus* *b*) testatur, quin his Diis aliqua templa posuissent, credide-runt enim Deum esse totum coeli ambitum, nefasque esse eum intra muros constringere. Praecipuum Deum tamen habebant *Solem*, *c*) quem *Mithram* vocabant; et quia sol ardentes quasi radios ex se evibrasset, ideo etiam ignem summopere coluerunt; quare etiam ignem regibus ad bellum euntibus, quatuor albis equis splendide currui injunctis praeferebant; impiosque eos dicebant, qui eum per combustionem cadaverum pro-

fa-

---

a) Vide geographiam Orbis praemissam. de Persia. *b*) L. 1 c. 131. *c*) Strabo. sub f. L. 15. Justinus. L. 1. c. 10.

ſanarent: quare nonnisi in obitu regis, locis in omnibus ignis exstingvebatur. Generatim Diis hilariter sacrificabant, quasi tunc a vitae hujus miseriis recrearentur. *Mithrae* tamen Sacra severius celebrarunt, nempe inter famem, sitim, ac alios cruciatus; consecrarruntque ei potissimum equos *a*) et boves. In Religione erant divisi in duas sectas, nempe *Sabaeos*, et *Magos*. *Sabaei* Stellas credebant esse Deos, sed *Solem* summum Deorum, qui inferiorem et superiorem orbem regeret; Idolo etiam et imaginum cultu, Solem sub specie ignis colebant. Talis erat status religionis usque ad tempora *Zoroastris*, qui doctrinam Magorum puriorem et sublimiorem reddidit adeo: ut proceres, imo et ipsos reges in suam sectam traxerit sub *Dario Histaspe*, ita ut jam plane Divinitatibus suis templa etiam ponerent; principia seu dogmata emendatae religionis continebantur in celebri illo libro *Zenda-vesta* nominato, ubi duo summa sed contraria principia pro fundamento, nempe *Oromasdes* omnis in Orbe boni, et *Ariman* omnis mali auctor statuitur. Erant praeterea et alia dogmata, uti: *Mithras* seu *Oromasdes* summus Deus est spiritus; erit resurectio corporum, et judicium Universale, quoniam anima sit immortalis. Ad moralia praecepta vero pertinebant: gratitudo, conscientia, humilitas, verecundia; item variae preces, hinc dum Sacrificare volebant, editissimum locum

---

a) Justin. L. 1. c. 10. Xenophon. p. 147.

cum conscendere solebant, assumto secum ad formulam quamdam recitandam Mago, quod genus sacerdotum, populo persvadere conabatur se solos tantum a Diis exaudiri. *a*) — Ex speciali consvetudine, natalem diem tam divites quam pauperes colebant pro suis facultatibus, cibis paucis sed multis bellariis utebantur; vinum largius hauriendo de rebus seriis deliberabant; notos et aequales in via osculo salutare a Graecis didicerunt, mentiri et debita contrahere ignominiosum erat. Parentes et fratres humanissime tractarunt; advenas benigne exceperunt, sed tamen zelotypiae morbo nimium laborarunt; unde uxores in advenarum conspectum venire non permiserunt: licet illas aliter venerarentur. Venatu magnopere delectabantur, quoniam corpus et hominis et equi eo exerceretur; cujus causa reges et proceres in amplissimis hortis varium ferarum genus clausum asservarunt. Patrium praeterea eis fuit non spuere; item pedibus incedere et non equis vehi, indecorum erat. Cadavera non combusserunt, ced cera oblinentes sepeliverunt. Magos tamen insepultos avibus comedendos commiserunt. *b*)

§. 3. *Status Politicus, et Forma regiminis.* Persarum Gens initio obscura fuit usque ad *Cyrum* hujus Monarchiae conditorem, seu ad an. ante Ch. 338. cujus sapientia, et successorum po-

---

a) Herodot. L. 1. c. 131. et 132. Strabo L. 15. *b*) Herodot. L. 1. c. 133. Strabo 15. p. 491. Aelian. Hist. var. L. 10. c. 14. et L. 12. c. 62.

potentia usque *Xerxem*, ad maximum potentiae gradum per 90. annos evehebatur; regiones enim subjectae Persis erant sequentes: *Media*, *Assyria*, *Susiana*, *Mesopotamia*, *Persis*, *Parthia*, *Hircania*, *Margiana*, *Paropamisus*, *Arias Drangiana*, *Gedrosia*, *et Carmania*. In quas provincias *Cyri* successores dominatum invexe, runt, et tanquam Dii habiti, speciali titulo utebantur; uti *Rex Regum*, *Particeps*, *Siderum*, *Frater Solis et Lunae*. Reges ex eadem stirpe jure hereditario eligebantur, et hi exquisitissimis cibis utebantur; nec aliam quam Choaspis fluvii aquam bibebant; quae iter facientibus in argenteis vasis deportabatur. Hyemem Babylonae, ver Susis, (Susa urbs amoenissimis hortis clara fuit, quos patria lingua *a*) Paradisos appellabant, unde et *Moses* habitaculum primi hominis per excellentiam Paradisum vocat.) aestatem Ecbatanis solebant exigere. *b*) Coronabantur Reges vestibus *Cyri* induti, per primum Magum in urbe Pasargadae; Senatus regis ex septem principibus constabat, ubi sub praesidio Monarchae, gravissima imperii negotia cognoscebantur; praeterea ad accuratiorem imperii administrationem gubernandam, totum imperium erat divisum in 20. Satrapias, ac totidem judices, qui cum distincto Senatu provincias moderabantur. Leges Politicae, et publicae eo spectabant, ut

non

a) Strabo. L. 15. Plin. L. 6. c. 27. *b*) Idem. ibid. Herodot. L. 5. §. 49.

non tam scelera commissa punirentur, quam ne vitia committerentur; hinc uxores duxerunt plures, alebantque pellices sobolis propagandae causa: *a*) unde plurium filiorum Patres, publicis praemiis a regibus cumulabantur. Filius in conspectum patris ante quinquennium non ferebatur, sed a matre educabatur; demum ab anno quinto usque ad vigesimum, publice per Magos, Persarum filii docebantur ad veritatem consectandam, et sinceram Legum observantiam. Rebelles capite et brachio amputato abjiciebantur insepulti. Aliter vero puniendorum, non tantum vitia, sed et recte facta, seu merita recensebantur; et si talium benefacta, vitia prolata superarunt, longe minorem aut plane nullam poenam sunt consecuti; sed qui nihil boni vita sua fecissent, severissime castigabantur. In Persarum vasto imperio per 200. et amplius annos, ex triplici familia erant Monarchae summa potestate praediti; et quidem ex familia *Cyri*, erat unicus *Cambyses*. Quo mortuo ex familia illustri *Hystaspidis* eligebantur sequentes: *Darius*, *Xerxes*, *Artaxerxes Longimannus*, *Xerxes II. Sogdianus*, *Darius Nothus*, *Artaxerxes*, *Mnemon*, *Artaxerxes Ochus*, *et Arses:* post quem ex obscuriore familia ad a. M. 3612. *Darius Codomannus* electus, et ab *Alexandro M.* tribus praeliis victus, *b*) finem imperio Persico posuit; in

---

a) Eusebius. Praep. Evang. p. 275. *b*) Arrian. L 4. c. 6. seqq. Diodor. Sicul. L. 17. p. 591. seqq. Curtius L. 4. c. 9. seqq.

in cujus locum Monarchia Macedonica successit sub *Alexandro M.* a cujus obitu denuo dissipatum est imperium in minora regimina; et Persicae provinciae *Seleuci* posteris, seu Syrorum regibus primo obtigerunt per 70. annos; quibus postea etiam ademtae sunt possessiones a Parthis, qui novum excitarunt Regnum. Ex alia vero parte Persarum provinciae in Romanorum venerunt potestatem. Et ab hoc tempore, Persae, Parthorum, et Romanorum jugum ferre cogebantur, usque ad annum Ch. 227. dum Romanis *a*) *Alexander* praefuisset; *Artaxerxes* Persa ab *Artabano* Parthorum rege deficiens, *b*) magno Parthorum regno finem imposuit; novamque Persarum Monarchiam inchoavit; de qua in secundo Tomo uberius tractabimus.

Causae destructionis Monarchiae Persicae erant ipsi Persarum Monarchae: qui licet totius fere Asiae essent domini, tamen quotiescunque Scythis aut Graecis bellum intulerunt, non modo sine fructu recedere cogebantur, sed plane adversus ipsos Graecos felicibus victoriis animatos, aegre admodum se defendere noverunt; *c*) unde post *Darii Hystaspis* et *Xerxis* clades, successores reges prudentiores redditi, omnem

O dein-

a) Tillemontius. Nota 5. ad Vitam Alexandri. Petavius Ration. temp. P. II. L. 4. c. 7. *b*) de regno Persico restituto vide. Dion. Cass. L. 80. Herodianum. L. 6. Agathiam. L. 2. *c*) Herodot. L. 1. et 6. Justin. L. 2. c. 8. 9. seqq. Plutarchus in Aristide, Miltiade.

deinceps bellandi occasionem cum Graecis solicite averterunt, contenti discordias inter Graecas civitates agitatas fraudulenter sustentare, et imbecillioribus contra fortiores auxilium dando, vires Graecorum infringere; hujus artis bellicae, observantissimi erant Persarum reges omnes. Hinc, dum Lacedaemoniorum potentia tanta evasisset, ut paccata tota Graecia, expeditionem in Asiam *Agesilao* duce assumerent, Persae mox magnam pecuniae vim in Graeciam miserunt; qua corruptis Civitatum Oratoribus, brevi Thebani et Athenienses, eorumque socii, in Lacedaemonios arma sumserunt; quo facto *Agesilaus* in ipso apparatu de patria sua servanda solicitus, mox ad Europaeos recurrendo, ignominiosam pacem cum Persis inire *a*) coactus est. Hujus artis bellicae aut ignarus, aut infelix contemtor *Darius Codomannus*, unitas Graecorum vires in se concitavit; unde mirum non est, Asiam a Macedonibus brevi subactam, excidium Monarchiae Persicae attulisse. *b*)

§. 4. *Status Belli*, *et Memoria Principum Virorum.* Persarum gens, numerosae prolis procreationem, ob bellicam fortitudinem, a qua salus imperii stabat, lege publica tenuit: ideo a vigesimo aetatis anno usque quinquagesimum, quivis civium erat militiae adscriptus, etsi adjuncta reip. postulabant, facto etiam se utilem

---

a) Xenophon. L. 5. Diodor, Sicul. L. 14. c. 111. Justin. L. 6. c. 6. *b*) Diod. Sicul. L. 17. c. 32. seqq. Curtius. L. 3. c. 8. seqq. et L. 5. c. 12. seqq. Justin. L. 11. c. 15. Plutarch. in Alexandro.

esse profitebatur. Stabilis militia ad custodiam Regis, Praetoriana dicta, ex selectissimis viris semper praesto erat, et hi distinctiori charactere honorabantur. Initio Pedestres milites robur constituerunt, quibus, inducto vicinarum gentium luxu, Equestres praevaluerunt. Innata militaris indoles femininis etiam inesse videbatur, quoniam ipsae Matres filiorum castra sequerentur. Persae bellum indicentes, per legatos prius pro belli signo, terram et aquam postulare ab hostibus consveverunt; quae si denegata eis fuissent, rem praelio decretorio dirimendam statuerunt; pugnae initium tubarum clangore, praeeunteque rege fecerunt sub variis vexillis, et quorum virtus in pugnis percrebuerat, diversis praemiis publice honorabantur.

Vetustissima Persarum Historia est ignota; si tamen *Codorlahomor*, *Abrahami* tempore Elamitarum seu Persarum rex erat, prout multi post *Gattererum* contendunt; tum nobis suspicari non vane licebit, eo tempore plures vicinos populos et regulos, testante scriptura Sacra in valle Sodomorum Persis fuisse obnoxios; donec *Phraortes* Medorum rex Persiam sibi subjecisset. Ceterum sicut haec aliorum scriptorum testimoniis rite comprobari non possunt; ita de *Cyri M.* Persarum primi Monarchae nativitate, educatione ac morte, variae supersunt sententiae. Sic *Xenophon* in sua Cyropaedia, *Cyrum* ponit omnibus regnandi dotibus instructum Principem, perfectissimique Imperantis exemplar;

 qua-

qualem tamen illo tempore vix credere possumus tantarum virtutum principem apud Persas educari potuisse. Ideo cum probabilitate pronunciamus: *Xenophontem* scripsisse non qualis fuerit *Cyrus*, sed potius qualis esse debuisset. *Ctesias* autem omnem *Cyri* propinguitatis nexum cum *Astiage* Medorum rege initio negat; sed tardius eum *Cyri* socerum factum fuisse asserit. *Herodotus* tamen, ut multis placet, *Astiagem* fuisse *Cyri* avum maternum contendit; cujus rei adjuncta sic referunt: *Astiages* Medorum rex somniavit arborem praegrandem in medio regni sui nimium excrevisse, umbraque sua totum regnum tegisse; quam visionem Magi interpretati sunt: quasi ejus filia unica *Mandane* paritura esset filium, qui totius Asiae Imperium condam obtineret; quare *Assyages* ut rem anteverteret, filiam suam non Medo alicui principi, sed ignobili e prosapia oriundo Persae *Cambysi* nuptui collocavit: et simul ministro suo *Harpago* in mandatis dedit, ut nasciturum ex ea filium interimeret; qui ut jussa domini exequeretur, Pastori cuidam regio *Mithridati* occidendum tradidit; qui dum recenter natum suum filium morte amisisset, sibi traditam prolem in locum filii adoptans, *Cyrum* nominavit; qui dum adolevisset, certo tempore cum aliis pueris lusit lusum *Rex* dictum; cumque ab aliis pueris rex constitueretur, ministri cujusdam filium aeque ludentem sed gravius exerrantem, severe castigari jussit; quod factum iniquum esse minister

nister putans, ad *Astiagem* detulit, ad quem *Cyrus* mox vocatus et examinatus reposuit: se id qua rex facere potuisse, quoniam regis mandata ab omnibus sancte observari debeant. Quo dicto rex, de ejus ingenii praestantia convictus, mox de natalibus sciscitabatur. Interim Aulici quidam, Regi detulerunt eum esse filiae suae *Mandane* filium, neque ab *Harpago* fuisse occisum; quare rex *Cyrum* ad matrem educandum transmittens, de *Harpago* poenas sumsit, filium proprium ei assum comedendum proponendo; de qua, et alia *Astiagis* severitate successive *Harpagus* edocuit *Cyrum*, eique svasit: ut Persas ad defectionem solicitaret; qui etiam jugum Medorum excutiendum statuens, avo suo bellum indixit; quo tempore Astiages facti sui ignarus, summam belli gerendi curam *Harpago* commisit, *a*) qui in vindictam rei commissae, mox omnem exercitum *Cyro* consignavit: sicque *Cyrus* copiis auctus, bello superior, Medorum imperium evertit; ac sic Monarchiae Persicae fundamenta ponendo, potentiam suam extendit. Verum *Croesus* Lydorum rex, *Astiagis* affinis, incrementa tanta *Cyri* aegre ferens, bellum ei indixit, in quo tamen victus, regno toto exutus, Lydia vero subjugata est. *b*) *Croesus* a victore *Cyro* incendio damnatus, dum flebiliter ter *Solo-*

---

a) Herodot. L. 1. c. 150. Petavius. Ration. temp. P. 1. L. 2. c. 11. p. 102. *b*) Herodot. L. 1. Justin. L. 1. c. 7. Frontinus. L. 1. c. 5. et L. 2. c. 4.

lonis nomen protulisset; ejusque sapientis sententiam proclamasset: *Mortalem ante obitum neminem dici beatum oportere*, mox victor! non modo *Croeso* pepercit, sed deinceps eum amicum retinuit: cujus etiam consilio demum rebellantes Lydos, arma ipsis adimendo, et ludicra tractare percipiendo composuit. Postea Asiae provinciis subactis, *Dario* victo, *a*) Babylone capta, *b*) omnibusque hostibus felici armorum successu superatis, Genti Judaicae potestatem fecit in patriam, ex septuaginta annorum captivitate *c*) Babylonica redeundi, Patriis legibus vivendi, templumque Hierosolymitanum restaurandi, anno a. Ch. 538. a quo *Cyrus* novum imperii initium accepit; prout Sacrarum Literarum auctoritate confirmatur; etsi jam longe prius Medorum everterit regnum. Tantis victoriis elatus *Cyrus* licet disvadente *Croeso*, bellum tamen Massagetis intulit initio satis feliciter, quoniam *Tomyris* reginae filium, vino et epulis deceptum magna clade profligasset; quo de facto regina vindictam spirans, reparato exercitu, ex insidiis castra *Cyri* majori damno dissipans; ipsum *Cyrum* occidit, cujus caput absectum, in utrem humano sanguine plenum injecisse dicitur, his dictis: *Satia te Sanguine cujus insatiabilis semper fuisti. d*)

Ve-

---

a) Herodot. L. 1. Berosus ap. Joseph. L. 1. contra Appion. Eusebius L. 9. de Praep. Evang. *b*) Herodot. L. 1. Polyenus. L. 7. *c*) Isaiae. c. 44. v. 28. et 45. Joseph. L. 11. c. 1. antiq. Jud. Esdrae. c. 1. *d*) Herodot. L. 1. Diod. Sicul. L. 2. c. 44. Justin. L. 1. c. 8. Frontinus. L. 2. c. 5.

Verum Scriptores de ejus morte variant; *Ctesias* dicit eum in bello contra *Derbicem* gesto, e vulnere accepto; alii vero naturali morte grandaevum exstinctum fuisse, postquam *Cambysi* regnum: juniori vero filio *Tanaxarci* Bactrianorum, Coranniorum, Parthorum et Carmanorum Principatum reliquisset. Ceterum *Curtius*, sepulchrum ejus, jussu *Alexandri M.* apertum, praeter arma nihil continuisse consignavit, quod ipsum *Alexander M.* Pasargadae inspexerat; cum hac inscriptione: *siste viator! ego sum Cyrus, qui Monarchiae Persicae fundamentum posui! O mortalis! hunc mihi loculum non invide!* sicque *Cyrus* mortuus est anno regni tricesimo, seu ante Ch. anno 529. *a*)

II. *Cambyses* filius *Cyri*, regni quidem, sed non virtutis paternae haeres fuit, qui omnia caede et sangvine replens, plane *b*) scelestissimus evasit; cujus malitiam plurimum promovit Magorum adulatio; qui dum eos interrogaret, num liceat sibi suas sorores in uxorem ducere? resposuerunt: legem quidem nullam esse quae hoc admitteret; sed existit lex, omnem Imperantis voluntatem esse legem: quo dicto mox sibi duas sorores copulavit. Bellum quod *Amasidi* Aegyptiorum Regi inferre volebat, ejus filio *Psammenito* intulit ad Pelusium, ea de causa; *c*) ut *Herodotus* dicit:

a) Petavius rat. temp. P. I. L. 2. c. 11. p. 104. *b*) Herodot. L. 3. in Thalia. Justin. L. 1. c. 9. *c*) Herodot. L. 3. c. 1. seq. Polyenus. L. 8. c. 29. Cyro tribuit Nitetin Apriae filiam.

cit: quod pro *Amasidis* filia, *Nitetin Apriae* filiam in pellicem acceperit. Justior tamen belli causa erat Aegyptiorum defectio, qui post mortem *Cyri*, denuo ad libertatem adspirabant; quos feliciter subjugans, victoria elatus, regem ipsum crudeliter sustulit; ac deinceps in omnes saevissimus evasit, praesertim dum ad Jovis Ammonis templum succendendum expeditionem in Aethiopiam suscepisset, ac 50,000 milites arena obrutos *a*) amisisset, clademque insuper magnam accepisset, reversus: omnia Deorum templa in cineres convertit; tandem Memphim veniens, dum incolas, *Apis* Dei translationem festo die celebrantes conspexisset, putabat eos in ejus infelicitate gaudere, ideo mox Sacrificulos Sacris intentos virgis caedi, ipsumque *Apim* Deum Aegyptiorum ense transfodi jussit, ac insuper anniversalem quot annis diem servari praecepit. *b*) Itaque tantus contemtor religionis, Judaeos etiam edicto cohibuit ne templum reaedificarent. Pari crudelitate etiam fratrem *Smerdim*, quem in throno sedentem somniaverat, interfici jussit; *c*) cumque soror simul et uxor, caedem fratris sui lachrymis planxisset, furiosus rex eam calce pedis etsi gravidam, ita percussit; ut mox et immaturam prolem ederet, et ipsa moreretur. Ita etiam quum Ministrum suum *Prexaspem* interrogaret; quid nam populus de ipso sentiret? re-

po-

---

a) Herodot. L. 3. c. 25. seq. *b*) idem. ibid. Justin. L. 1. c. 9. *c*) Herodot. L. 3. c. 30. seqq.

posuit Minister; omnia bene, sed id unicum vitio dant, quod vino largius indulgeat! cui ad haec rex dixit: testaberis populo, quod licet vinum justo plus hauriam, usum tamen rationis semper retineam; qui etiam ut haustum vinum sibi minime nocuisse ostenderet, filium Ministri in aula stantem, accepto arcu, tam dextere trajecit, ut cor bifariam scinderetur; quod impium factum imprudens pater laudibus efferens, dixisse fertur: nec ipsum Apollinem melius tacturum. Tandem saevissimus tyrannus, turbis domi exortis, domum revocatus, in itinere in equum insiliens, proprio gladio vagina nudato, vulneratus obiit a. ante Ch. 521. ac masculam Persidarum stirpem interitu suo finivit. *a*)

Pseudo-Smerdis post mortem *Cambysis*, causa turbarum erat *Patizites*, qui a *Cambyse* jam antea vicaria potestate gubernator constitutus, ea abuti coepit, fratremque suum *Smerdim* Magum, occiso *Smerdi* simillimum, in solium evehere conabatur; qua machinatione succedente, ut suppositus hic *Smerdis* in throno firmaretur, se Eunuchis totum concredidit, *b*) neque in publicum prodivit; quare plurimi sagatiores in eam venerunt suspicionem, ut eum, *Cambysis* fratrem esse dubitarent. Itaque *Pseudo-Smerdis* ut procerum molimina alio averteret, quatuor duxit

---

a) Herodot, L. 3. c. 64. Justin. L. 1. c. 9. Strabo. L. 15. a Magis sublatum dicit. *b*) Herodot. L. 3. c. 61. seqq.

xit uxores, duas filias *Cyri*, et filiam *Otanis* Principis; qui per suam filiam, e desecta Magi auricula fraudem detexit. Quo facto septem Principes Persae inita conjuratione, *Smerdim* in regia interceperunt, et post septem mensium imperium trucidarunt, *a*) consiliumque instituerunt; eum Regem electum iri, cujus equus primo in statuto loco et tempore, hinnitu suo solem adoraverit; quod dum *Darius Histaspis b*) arte aurigae effecisset, mox Rex electus est.

III. *Darius Histaspis*, occisis qui regnum invaserant Magis, regiam dignitatem sorte obtinens, ut suis initio statim a moderatione et clementia commendaretur, mox tributa in certum ordinem redegit, *c*) fratribus principatum concedens, Judaeis quoque secundum acceptam a *Cyro* potestatem templi restaurandi facultatem concessit; qui etiam opus perfecerunt. *d*) Non multo post Babylonem 20. mensibus strenue obsessam, per *Zopyrum* ducem fidelissimum obtinuit. *e*) Memorabilis est hic *Darius* I. eo: quod novam Regum Persarum Stirpem in tam vastam Monarchiam inchoando induxerit, continua serie post hac successuram. II. Memoratur a dupplici, eaque celebri expeditione contra Scythas et

---

a) Herodot. L. cit. Justin. L. 1. c. 9. Ctesias discrepat. *b*) Herodot. L. 3. Justin. L. 1. c. 10. Valer. Max. L. 7. c. 3. Polyaenus. L. 7. c. 10. *c*) Herodot. L. 3. c. 89. Plin. L. 35. c. 11. *d*) Esdrae. c. 6. v. 1. seqq. *e*) Herodot. L. 3. c. 151. seqq. Justin. L. 10.

et Graecos adornata. In Scythica expeditione Bosporum et Danubium ponte junxit, Scythasque per deserta fugientes; ultra Tanaim dum frustra persequeretur, imminentem famem metuens, postquam 80,000. suorum amisisset, per pontem *Hystiaei* Milesii opera in Danubio servatum, etsi re infecta redivisset; tamen *Megabisum* cum alio 80. millium exercitu in Thracia reliquit, *a*) qui etiam brevi Perintho capta, mox felicibus successibus animatus, per totam Thraciam victricia arma circumferendo, populos seditiosos compescuit. Poenos victos in Asiam misit, Macedones vero aquam et terram Persis dare compulit. *b*) Alterum contra Graecos bellum haud gravi de causa suscepit; nimirum dum ipse in Persidem exercitum reduxisset, secum honoris causa etiam *Hystiaeum* Mileti Tyrannum invitum abduxit; interea sui loco *Aristagoram* generum Civitati praeficiens, sed quum is promissa sua de Naxo insula Persis, vindicanda praestare non posset, malum inde oriturum sentiens, prout etiam ab *Hystiaeo* oculte erat monitus, mox defectionem in urbe concitando, Tyrannosque complures occidendo, Milesiis libertatem restituit; cumqae ab Atheniensibus et Eretriensibus auxiliares naves accepisset, palam deficiens, Sardes expugnatas incendit; quod crudele factum ubi *Darius* rescivisset, mox de bello Athenien-

et

a) Herodot. in Melpomene. L. 4. Justin. L. 2. o. 5.
b) Herodot. L. 5. c. 17. seqq.

sibus inferendo cogitare coepit eo a fortiori; quod duces ejus in Asia contra rebelles rem feliciter gesserint; qui etiam *Aristagora* caeso, ipsum *Hystiaeum* captum in crucem egerunt; Miletum vero expugnatum, incendio deleverunt. *a*) Quibus victoriis feliciter terminatis, stimulabat regis animum Graecos quoque subigendi cupiditas; cujus causa sumebatur ex eo: quod Graeci *Hippiam* Pisistrati filium Athenis ejecissent, quem sibi supplicem in Tyrannidem restituendum firmiter decreverat; ideo *Darius* ad bellum felicius gerendum, ipsum *Mardonium* generum suum ad novos Tyrannos ejiciendos praemisit; qui dum Thraciam et Macedoniam jamjam pacasset, repente ad montem Athon amissis. 20. millibus hominum, sine sperato fructu redivit. *b*) Quare *Darius* mox legatos in Graeciam, terram et aquam petituros expedivit; verum Athenienses plane contra Gentium jura, legatos ad se missos, in puteos et foveam conjecerunt, ut inde sua petita repeterent. Qua ignominia *Darius* commotus, praevalidam classem cum magno apparatu ducibus *Dati* et *Artapherne* in Graeciam misit; qui etiam mox magno impetu Eretriam capiunt; indeque in Atticam venientes, copias in campum *Marathonem* deducunt; contra quos Athenienses ad terrorem incutiendum decem Praetores constituerunt; inter quos imprimis eminebat

bat

---

a) idem. ibid. c. 37. 51. 99. seqq. et L. 6. c. 1. 26. seqq. *b*) idem. L. 6. c. 43. seqq.

bat *Miltiades*, cujus auspiciis 10,000. Atheniensium, (ex quibus Plataeensium mille fuerunt,) cum centum millibus peditum, et 10. millibus equitum Persarum ita dimicarunt, *a*) ut ex Persis 6400. ex Atheniensibus tantum 192. occumberent, ipse autem *Darius* fugato exercitu, cladem passus est adeo memorabilem, ut juxta *Plutarchum* a triginta fere scriptoribus ea describeretur. Quare *Darius* ut ignominiam detergeret, licet gravis de successione controversia inter filios orta *b*) regis conatus distraxerit, tamen maximo cum triennali apparatu bellum Graecis inferendum cogitabat; sed in ipso conatu, dum regnasset 36. Annos *c*) mortuus, successorem habuit:

IV. *Xerxem* ex *Cyri* filia *Atossa* natum, *d*) anno 10. post praelium in campis Marathonicis commissum, comparato innumerabili exercitu, postquam Aegyptios rebelles subjugasset, *e*) famosam illam, infelicemque expeditionem in Graeciam suscepit; quae expeditio ab omnibus scriptoribus mirum in modum celebrata fuit, imprimis propter inauditam hominum multitudinem, in eo enim quinquagesies centena millia ho-

---

a) Herodot. in Terpsich. L. 5. et 6. c. 177. Justin. L. 2. c. 9. Cornelius Nepos. in Miltiade c. 5. Plutarchus in Aristide. *b*) Herodot. L. 7. c. 2. seq. *c*) idem. ibid. c. 4. *d*) Justin. L. 2. c. 10. *e*) Herodot. L. 7. in Polymn.

hominum *a*) exstitisse perhibentur. Qui apparatus licet mirabilis, illud tamen multo mirabilius erat; quod tantum bellum, tanto tempore, tantisque opibus paratum, et tanta vi illatum; insperato tandem ac infelici successu fuerit solutum. Rem totam *Herodotus b*) et alii sic descripserunt: quod nempe *Xerxes* a paucis Graecis non semel victus ac profligatus, frustraque quinquennio in Graecia exacto, maxima cum ignominia in Persidem redire fuerit compulsus. *Leonidas* enim cum tercentis Spartanis, et aliorum Graecorum quatuor millibus, ad *Thermopylas* maximam ei intulit cladem. Interea Athenienses duce *Themistocle*, se, suaque omnia in naves imponentes, relicta urbe, classem 200. navium soli adornant. *Xerxes* igitur Athenas vacuas deprehendens, mox cum forore incendit, et Bibliothecam asportavit. Verum in itinere *Themistoclis* Atheniensium ducis consilio ac Virtute, ad insulam *Salaminem* navali praelio victus, fugatusque discessit a. ante Ch. 480. Anno autem insequente ipse *Mardonius* cum 300. millibus in Graecia relictus, *c*) a *Pausania* Lacedaemonio, et *Aristide* Atheni-

---

a) Plutarch. in Paralel. p. 305. Herodot. L. 7. c. 187. dicit quinquagesies et biscentena octoginta tria millia. Justinus L. 2. c. 10. decies centena millia. — Naviun vero 1200. dicit Lysias. Orat. 31. § 9. *b*) L. 7. et 8. Cornel. Nep. in Themistoch. c. 2. 3. seq. Diodor. Sicul. L. 11. p. 250. seqq. Justin. L. 4. c. 2. *c*) Herodor. L. 9. c. 58. seqq. Diodor. Sicul. c. 11. p. 256. seqq. Plutarch. in Themistocle.

niensi ad *Plataeas* non modo vincitur, sed et occiditur. Imo Graeci eadem die, insigni praelio navali ad *Mycalen* eosdem Persas superarunt. Igitur *Xerxes* post has infelices pugnas, turpemque fugam domum reversus, dum in magnum suorum contemtum venisset, ab *Artabano* principe, corporis sui custode, per fraudem in cubiculo circumventus *a*) occiditur. Quo facto: *Artabanus* eidem *Xerxi* per vim in regno successit, qui tamen post septem usurpationis menses, ab *Antaxerxe Longimano*, filio *Xerxis* fuit interfectus.

V. *Artaxerxes Longimanus*) *Xerxis* filius natu minimus, regnum sibi jure hereditario debitum revindicavit, ad quem a. ante Ch. 471. contulit se *Themistocles* magnus ille defensor et amplificator suae Patriae, a Lacedaemoniis proditionis accusatus, *b*) imo per Ostracismum ob nimiam potentiam amandatus, honorificeque ab *Artaxerxe* exceptus, mox ad bellum Atheniensibus inferendum incitabatur. Verum *Themistocles*, ne aut in regem ingratus, aut in Patriam impius esset, mori potius statuit; atque ut moriens Patriae, quamvis ingratae consuleret, regem jurejurando obstrinxit: bellum Graecis sine *Themistocle* non illaturum, quare taurino cruore hausto, ex vita excessit. *c*) *Artaxerxem* hunc multi *Asverum Estherae* maritum fuisse pu-

a) Justin. L. 3. c. 1. *b*) Thucid. L. 1. c. 137. *c*) Diodor. Sic. L. 11. p. 269.

putant, verum teste *Funecio*, *a*) *Asverus* fuit *Darius Histaspes.* — Idem *Artaxerxes Longimanus* Deo ut dicunt inspirante *b*) e septem suorum consiliariorum sententia, *Esdram* Sacerdotem legis peritum, in Jerusalem mittendum decrevit, ut ibidem in Templo jam reaedificato restauraret augeretque Domini cultum, simulque visitans Jerusalem, deinceps Judaeam, totumque Judaicum populum regeret, ac diligenter institueret in Lege Dei sui, doceretque servare Domini mandata. — Quo tempore etiam *Seleucus* Locrensibus leges tulit. Romae vero decem Viri, famosam illam legislationem *c*)XII.tabulis comprehensam sanxerunt. Porro eodem *Artaxerxe* regnante, exarsit etiam in Graecia celebre bellum *Peloponnesiacum*, quod *Periclis* opera excitatum, per totam Graeciam communi fere Graecorum pernicie 27. annos, ut *Thucidides d*) in exilio constitutus memoriae mandavit, continuo duravit. Ceterum *Artaxerxes* grave cum *Inaro* Aegyptiorum rege gessit bellum, *e*) quo *Inarus* classe Atheniensium adjutus, Persas navali praelio vicit; sed versa brevi fortuna, Aegyptii ab Atheniensibus duce *Megabyzo* secedentes, deinceps Persis subesse cogebantur. Ex parte vero Atheniensium bellum hoc

a) c. 5. *b*) Esdrae. c. 7. v. 7. seqq. *c*) Dionys. Halicar. L. 10. Livius. L. 3. c. 31. seqq. Johann Rosinus. Antiq. Rom. L. 8. c. 6. *d*) L. 1. c. 105. *e*) Herodot. L. 7. c. 7. Thucidides. L. 1. c. 104. Diod. Sicul. L. 11. p. 279. seqq.

hoc Persis perniciosum, nonnisi turpi pace *Cimoniaca* ita fuit confectum: ut Persae ultra *Halym* fluvium terrestribus copiis ne progrediantur, item *a*) ut intra *Cyaneas* et *Chelidonias* longa vel rostrata navi ne inveherentur: utque Graeci omnes Asiatici et Europaei de hinc liberi sint. Tandem *Artaxerxe* tantis fortunae vicissitudinibus agitato e vita decedente; regnasse in Perside dicitur primo *Xerxes II.* defuncti regis filius et regni haeres, qui tamen post paucos menses *b*) a fratre *Sogdiano* perfide trucidatus est. Postea regnum a parricida *c*) occupatum maximis abusibus vexabatur; quapropter Principes Persae, *Sogdianum* aversati, communi voto regem sibi constituerunt *Ochum*, *Artaxerxis* alium ex pellice filium, eumque ab electionis die *Darium* vocarunt, *d*) qui *Darii Nothi* nomine notus, Judaeorum politiam restituit, Spartanis aliisque Peloponnesiis contra Athenienses auxilia misit; ceterum tamen uxoris *Parysatidis* machinatione et crudelitate concitatas turbas sopire non potuit, post cujus mortem a. ante Ch. 404. ab ejus filiis *Artaxerxe*, *Mnemone*, et *Cyro* Juniore acerrime erat certatum. Patrem in imperio excepit filius.

a) Plutarch. Cimon. p. 487. Diodor. Sicul. L. 12. p. 291. seqq. confuso tamen ordine. *b*) Diodor. Sicul. L. 12. c. 64. Ctesias apud Photium. Ptolomaeus in Canone ap. Calvisium. *c*) Diod. Sic. L. 12. c. 71. Pausanias. L. 6. *d*) Diod. L. cit. Justin. L. 5. c. 1.

Artaxerxes a) ob memoriae excellentiam *Mnemon* dictus; a patre jam electo rege, *Cyrus* vero ut etiam coronato rege ex *Parysatide* genitus; ex his igitur geniturae praetensionibus de throno interse decertabant; Mater foemineo et imbecilli consilio, minori filio *Cyro* favens, hinc in confoederatione Graecorum grave bellum a. ante Ch. 401. fratri indixit; verum *Cyrus* ad *Cunaxam* b) a fratre suo bello superatus et trucidatus est: post cujus caedem, Graecorum residui auxiliares, per infestas provincias feliciter transeuntes, duce *Xenophonte* in patriam reversi sunt. Post haec, studia aulae Persicae ea erant: ut inter ipsos Graecos, qui de primatu potissimum decertabant, callido etiam artificio dissensiones continuo foverentur. Tandem post bella cum Spartanis gesta c) pax *Antalcidaea* per hujus nominis legatum confecta est cum magno Persarum emolumento; nam vi hujus pacis, Asiatici et insulani Graeci denuo in Persarum potestatem devenerunt; ac proin *Artaxerxes Mnemon* universae Graeciae pacem desideratam restituit. d) Tandem post Aegyptum amissam, variarumque Provinciarum rebellionem, e) ob filii

---

a) Ctesias apud Photium. Xenophon de exped. Cyri. 7. lib. Diodor. Sicul. L. 14. c. 20. Joseph. L. 11. c. 6. b) legantur Ctesias et Xenophon, qui bello interfuerunt. item Justin. L. 5. c. 11. c) Diod. Sic. L. 14. c. 111. Justin. L. 6. c. 6. Plutarch. in Artaxer. d) Diod. Sic. L. 15. c. 41. Plutarch. in Agesilao. e) Justin. L. 10. c. 1. seq.

filii *Darii* cruenta scelera, moerore animi *a*) confectus, nonaginta quatuor annorum, mortuus est. a. Ante Ch. 365. Cui successit filius.

Ochus, regiam suam, totumque regnum caedibus implevit, rebellantes Aegyptios et Phoenicios armis ad obsequium revocavit; quibus domandis potissimum Graecorum stipendiariis usus est, inter quos eminuit *Mentor Rhodius*. Ob quae sua facta per varias ducum rebelliones *b*) agitatus, tandem per *Bagoam* Aegyptium cum omni sua familia veneno peremtus est. *c*) Huic quidem filius *Arses* successit, sed triennio vix peracto, *d*) simili *Bagoae* scelere exstinctus erat. Quem, machinationibus *Bagoae* in throno excepit *Darius Codomannus*, *e*) qui initio statim regni anno, paratum sibi venenum, *Bagoam* bibere coegit: sic tandem liberum a regiis insidiis *Darium* cura gravissimi belli distraxit, imminebat enim jam fatalis Persicae potentiae terminus; quoniam *Alexander* Macedo etsi adolescens, tamen communi Graecorum consensu Dux contra Persas declararetur, qui etiam dum Thebanos rebelles praelio superavisset, tota Graecia pacata, mox in Asiam contendit; ubi *Darius* videns sibi bellum Macedonicum imminens,

P 2 amis-

a) Dion. Sic. L. 17. c. 5. Justin. L. 10. c. 3. *b*) Aelianus. Hist. var. L. 6. c. 8. *c*) Dionys. Sicul. L. 17. c. 5. *d*) idem. ibid. c. 5. et 6. Justin. L. 10. c. 3. *e*) Dionys. Sicul. L. 17. c. 22. seqq. Arrianus L. 2. de exped. Alexand. Curtius. L. 3. c. 2. Justin. L. 11.

amisso jam *Memnone Rhodio* fortissimo duce, ipse deinceps gerere debuit. *a*) Quem *Alexander* in armis strare deprehendens, primo ad *Granicum* amnem Phrygiae aggressus, praelio mox decretorio inito, Persae victi, *b*) magnam Asiae partem amiserunt. Inde alterum praelium erat ineundum ad *Issum*, ubi Persae denuo magna clade attriti, non modo omnia castra eorum, sed insuper *Darii* Mater, uxor, et proles in potestatem *Alexandri* venerunt, *c*) quo infelici facto, *Darius* tales quidem conditiones, et regni partem deferebat Victori; quae si alteri quam *Alexandro* oblata fuissent, non facile respui potuissent; sed *Alexander* his omnibus spretis, non prius a coepto opere desistendum ratus, quam toto Persico imperio potiretur: ideo tertium praelium decretorium ad *Gaugamelam* committendum erat, *d*) ubi denuo *Darium* decies centena millia militum ducentem, a. ante Ch. 331. die 20. Septembris, internecina clade profligavit; ipsumque *Darium* in Mediam fugavit; quo tempore *Alexander* nemine obsistente cunctis potitus, recta in Persidem profectus, mox imperii caput *Persepolim* diripuit et succendit. *Darius* in-

---

a) Diod. Sic. L. 17. c. 32. Curt. L. 3. c. 8. seqq. *b*) Arrian. L. 2. c. 5—12. Curtius. L. 3. c. 7. seqq. Justin. L. 11.. c. 9. Plutarchus in Alexandro. *c*) Arrianus. L. 4. c. 6. Diodor. Sicul. L. 17. Justin. L. 11. c. 12. seqq. *d*) Curtius L. 5. c. 1. seqq. Arrian. L. 3. c. 16. seq.

interim novis delectibus bellum parans, altero post *Arbelicam* pugnam anno, a *Besso* Bactrianorum Praefecto perfide captus et trucidatus est, a. ante Ch. 330. cum quo Persica Monarchia concidit, et in *Alexandri M.* potestatem pervenit. *a*)

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Persarum politicae Scientiae, belli artes, et culturae gradus, abunde patet ex illa maxima regnandi arte, qua ducentis et amplius annis, Mediae, Assyriae, Babyloniae, Asiae minori, Phoeniciae, Palaestinae, Aegypto, Indiae, et Thraciae parti dominabantur; imo Aethiopes, Scythas, ipsosque Graecos longo tempore respectu tenuerunt; donec eversores exstitissent. Quod ipsum mirari mox desinemus, ubi *Xenophonte* teste advertimus: Persis omnibus viam ad dignitates patuisse; qui in ludis instituti, et bene eruditi erant. Et revera Gentis hujus veterem in artibus et scientiis peritiam, bonumque saporem, hodie etiam durissimo marmori incisa, ad Persepolim ante bis mille annos eversam, exstantia monumenta declarant, in quibus haud minus artis ad maturitatem perductae inest, quam olim in Aegyptiis Graecisque artefactis summa cum gloria eminuerunt; quod ipsum satis indicant aquaeductus in vivis Petris excisi, uti et subterranei aditus in tam longum procurrentes, ut aegre quis initium in-

---

a) Diodor. Sic. L. 17. c. 73. Curtius. L. 5. c. 12. seqq. Justin. L. 11. c. 15. Plutarchus in Alexandro.

inveniat; praeterea inscriptiones sculptura inaratae, quas quidem ut pro Assyriis teneamus, *Themisthoclis* ductu facile inducimur, nam his Persicas literas primo *Darius I.* substitutuit. — Antiquae quidem educationis et disciplinae Persarum, condam maximis laudibus celebratae, pauca admodum supersunt vestigia, quibus potissimum in exercitationibus membrorum, utpote valetudine magis et corporis alendo robori necessariis intenti erant. *a*) Ceterum tamen antiquissimam fuisse apud Persas Sectam Magorum, tam Sacerdotii, quam eruditionis fidelem custodem, ex monumentis constat; licet de origine et classibus eruditi non conveniant; quoniam illi tam Graeci quam Latini, per Magum, jam sacerdotem, jam sapientem intelligant, quum utraque officia iis de lege incumbebant; qui etiam Magi, pro arcana sua scientia, non ignem pro Deo, sed Deum in igne tamquam Symbolo adorarunt; quive sub astronomicae observationis specie, politicarum, Physicarumque rerum scientificam cognitionem pro oportunitate circumstantiarum videntur exercuisse; quare Medicis saepe ingrati evaserunt. Multorum liberorum parentes, Rex non modo annuis stipendiis tuebatur, sed insuper etiam regia donabat munificentia. Filii ante quinquennium non deferebantur; in conspectum patris, sed materna cura educabantur; dein

a) Thomas Hydeus. in libro de religione. Persar. Item. Jacobus Bruckerus. in Hist. Critica Philosoph. Cicero de Divinit. L. 1. c. 40. 41.

dein vero cura publici Magistratus, ad vigesimum usque annum publice docebantur equitare, sagittis jaculari, et vera loqui. Parentes tamen quibus liberalior educatio cordi erat, filios suos ad Regiam aulam mittere solebant; ubi justitiae et temperantiae praeceptis amplius imbuebantur. Mirum tamen est, rei navalis usum, inde a primis eorum temporibus, usque ad nostram fere aetatem, in tanta locorum oportunitate, inter tantas occasiones, in tam splendida gente nullum unquam fuisse. Persicarum scientiarum tam sacrarum quam profanarum restaurator fuit *Darii Histaspidis* temporibus *Zoroaster* Archi Magus vaferrimo ingenio praeditus; sui tamen seculi ab eruditione celebratissimus. *a*) Cui diversi libri tribuuntur; quos in solitudine conscripserat; inter quos primum locum tenet Liber *Zenda-Vesta*, in XII. Tomos divisus; liber hic semper pro divino habebatur, quoniam fundamenta religionis, prout et moralia principia in eo continerentur. Celebrabantur olim et *Oracula Zoroastris*, quoniam apud Platonicos magnum nomen erant consecuta; quorum tamen fragmenta hodiedum exstantia, licet a variis eruditis sint edita, tamen supposita esse *b*) videntur. — Praeterea magnus Philosophiae promotor erat

---

a) Solinus in Polih. c. 1. Brucker. Hist. Crit. Phil. T. 1. L. 2. c. 3. §. 9. 10. seq. *b*) Stanleus. Hist. Phil. p. 1116. Petrus Lambecius. in Prodrom. H. Liter. p. 97. Brucker. Hiſt. Cril. Phil. T. 1. L. 2. c. 3. ſeq.

erat ipse *Darius Histaspes*, *a*) qui apud Indorum Brachmanes, Astronomiam et arcanum Deorum cultum addiscendo, immortale nomen apud suos est consecutus. Prout et *Oranes* a scientiis Astronomicis celebratissimus. *b*) Plura in restaurato imperio Persico deinceps videbimus.

Caput XIV.

HISTORIA CHINENSIUM.

§. 1. *Geographico Statistica notio.* Chinense seu Sinense imperium amplissimum ac potentissimum, fines habet ab oriente mare Eoum, et hic ad ortum Solis, terrarum extrema pars putatur; a Meridie Cauchinchinam provinciam; ad Occidentem Brachmannes; a Septemtrione Tartaros bellicosissimos, a quibus muro longissimo separatur: quem murum ad 500. milliaria extensum, Chinenses Historici a Rege *Tzintzoo* exstructum fuisse dicunt. Clima, coeli et terrae temperie, item hominum industria rerum omnium ferax. Incolas habet labori assvetos, quibus nihil indignius videtur, quam vitam otiosam ducere; unde fit: ut nulla terrae portio inculta jaceat. Terram siccam tritico et hordeo conse-

a) Ammian. Marcell. L. 23. c. 6. Herodot. L. 1. c. 209. *b*) Fabricius. Biblioth. Grae. T. 1. p. 92.

serunt, humidam vero Oryza; cujus quater uno anno satio est. Aliae terrae moro consitae, ad nutriendos bombyces derserviunt. Auri etiam et argenti, aeris, ferri et aliorum metallorum, Gemmarum, Unionum, Sacchari, Rhabarbari non exigua copia; profert insuper lignum singulariter medicum, quod a Chinensibus *Lampalam* a nobis autem *Radix Chinae* dicitur, cujus usus per universum orbem notum contra quaevis apostemata, paralysim, et morbum gallicum, magnus et communis est. Pecorum greges infiniti. Zebellini et Martes in copia sunt, quorum pelles in usum vestimentorum ab aliis gentibus expetuntur. Anatum immanis multitudo. Totum hocce Imperium uni subest Regi tamquam Monachae, cujus titulus est: *Mundi Dominus et Coeli Filius.* Incolae seipsos *Tangis* vocant. Urbes celebriores 250. numerantur. Metropolis est *Peching.* *a*) Praeterea innumera oppida et pagi sunt, incolis ob continuam agriculturam frequentes. Urbes potissimum ad navigabiles fluvios jacent. Lacus peramoenos habet; quorum praecipuus est ille rotundus in *Sancii* provincia, qui a Ch. 1557. ex inundatione factus est, in cujus loco septem civitates, et multi pagi submersi erant. Regnum hoc compluribus fluviis navigabilibus irrigatur. Inter opera et structuras

---

a) vide supra. in notionibus Praeviis. p. 20. Item Polum Venetum, et Kircherum. nec non Gerardi Mercatoris. Atlas minor. cum Hondini Tabulis. p. 614. seqq.

ras occurrunt urbium portae, magnifice exstructae. Plateae ubique quasi ad libellam factae, nunquam a linea recta declinant, quae licet magnae amplitudinis sunt, arcubus tamen triumphalibus nectuntur, qui urbes pompose ornant. Imperii magnitudo etiam sine tributariis provinciis, Monarchiam Austricam sexdupplum fere aequat; nam numerum incolarum communiter ad 200. milliones recensent; bello vero utiles ad sex milliones sunt; ac proin regnum hoc facile omnium vastissimum est; attamen tantarum virium immanitate quibus pollet, nunquam ad humanitatis regimen pervenire potuit, quoniam et hodie ab omni humanitatis sensu derelicta vis despotica ibidem praevaleat. Rex Chinae habet sub se Gubernatores quasi Proreges, quales *Tutan* vocant, qui simul ut regni Judices justitiam maxima severitate administrant. Furta, quo nullum crimen hic odiosius est; flagri verberibus crudelissimis puniuntur. Chinenses in genere Europaeis sunt consimiles, lata facie, rara barba, et parvis oculis. Rarissime ex patria terra exeunt, nec facile exterum hominem peregrinum, praeprimis ad interiora regni, sine indultu regis admittunt. In Mechanica, omnisque generis conficienda supellectile adeo sunt nitidi et promti, ut opus non tam manufactum, quam a natura productum videatur: ideo Lusitani non vane multa de sagacitate Chinensium scribunt. Hic maxime vigent mercimonia aromatum, imprivero serici, et porcellanae; ex Malacca enim

et

et Bengala, aliisque locis piper, crocus, nuces vulgo muscatae, aliaque aromata, non levi cum commercio in Chinam advehuntur; sericae tamen telae hic maximum commercium est. *a*)

§. 2. *Status Religionis et Consvetudinis.* Chinenses antiquissimis temporibus cuncti, et hodie non pauci credunt omnes res creatas, harumque gubernationem pendere a *Coelo*, quod omnium maximum Deum credunt; Solem, Lunam, et stellas adorant; prout et Cacodaemonem, ne ipsis mala inferat: his et aliis etiam minoribus Diis, absque sacerdotibus sacrificia offerebant, quoniam virtutum praemia, et delictorum poenas futuras firmiter sperarent. Hanc simplicem eorum religionem, annis circiter ante Christum 500. vanis superstitionibus corrupit *Laokius*, ex matre octvaginta annis gravida, jam senex natus; docuit Deum esse corporeum; cui alii minores Dii subjecti etiam sunt adorandi, ut hominibus consilio adsint ad bonas actiones faciendas; in quorum honorem idola et divinationes instituit. Quia vero animas hominum mortales esse diceret, ideo actualem hominis vitam pacate ducendam esse docuit, ne animus vel levissima molestia afficiatur, unde patet: eum summam hominis felicitatem in voluptatibus terrenis

a) Vide de Commerciis Chinensium et Lusitanorum Joannem Barrium in suis Decadibus Asiaticis. — Item Antonium Pigiafetta et Andream Corsalis, etc.

nis posuisse. Habebant quidem Chinenses pervetustum librum Sacrum *Schuking*, qui inde ab *Jao* initium gentis, usque ad *Pingvang*, seu Romae conditae aetatem, historiam Sacram et profanam pertexuit, tamen et hic liber temporum injuria, variam labem et religionis detrimenta passus est. Cujus tamen fragmenta anno ante Ch. 484. in unum compilavit *Confucius* celebris Chinensium Philosophus, (qui primam lucem conspexit anno ante Ch. 550.) sub titulo *Kongfu-Tsee*, qui pro sua sapientia, hominum mores, eorumque de religione sentimenta emendare conabatur;ideo allectis sibi quibusdam sagatioris ingenii hominibus; emendatae religionis principia publice docere coepit: Deum esse unicum, eumque aeternum, omnipotentem, omniscium, justum, omnibusque perfectionibus pollentem; in se existentem, ac universi orbis providentissimum Gubernatorem, ideo qua talem, summo cultu adorandum esse; ita tamen: ut eidem sine fixo ritu, templo, ac Ministris, Sacrificia per Regem nomine populi offerrentur. Moralis doctrina autem eo pertinebat: ut corruptam per pravas actiones naturam; ad primaevum statum hominum reduceret. Docuit praeterea existentiam spirituum, qui tamquam minores Dii, societatibus, et provinciis, variisque rebus creatis praeessent. Antiqua haec Chinensium religio ad an. Ch. 65. mutata est; quo tempore *Fo* ut supremum Numen apparuit, ipseque solus adorari voluit. Crediderunt enim hunc *Fo* cujusdam regis Chinen-

sis

sis filium fuisse, qui ut natus erat, mox loqui et ambulare coepit, neminemque praeter se in coelo et in terra adoratione dignum dixit; hinc ut magis se populo commendaret, jam in ipsa adolescentia fastidire coepit omnes mundanas vanitates, ideo se in desertum recipiens, nonnisi trigesimo aetatis anno comparuit, spiritu Divitatis et Prophetico repletus, novam suam doctrinam variis miraculis confirmatam proponens. Hinc crediderunt eum jam octe mille vicibus fuisse mortuum, animamque ejus per diversorum animalium corpora adeo peregrinatam, et mundam evasisse: ut nunc purus absque macula spiritus existeret; quare inter summa religionis capita admisit metempsychosim, animae immortalitatem, item praemia, vel poenas delictorum. In morali doctrina autem proposuit; omnibus hominibus vitam honestam, sobriam et exemplarem esse ducendam, neque illicitis voluptatibus, furto, mendacio, sangvinis effusione, aliisque vitiis foedandam. Hujus Numinis *Foe* ministri vocabantur *Bonsii*, qui ad speciem, severam vitam ducentes, aliis misericordiae opera commendarunt. Habebant hi etiam *Doctrinam arcanam*, quam a *Foe* jam jam moribundo acceptam mentiti sunt; uti: *Principium et Finis omnium rerum est nihil. Nihil fuimus, et Nihil erimus.* Diversitas entium, nonisi a figura et proprietatibus pendet; non vero e principiis. *Bonzii* tardius ad majorem auctoritatem sibi conciliandam introduxerunt etiam idola; *Foe* idolum in tem-

plis

plis dupplici modo exstitit, stans nempe et sedens, et quidem Stans erat symbolum voluptatis, Sedens vero immortalitatis. Idola etiam domestica in usu erant, quae si nihil profuisse putabantur, inter maximas execrationes ejiciebantur. Apud Chinenses, Religio Christiana statim seculo primo propagari coepit; sed mox per *Foe* sectatores impediebatur. Tandem anno Ch. 1517. *Ferdinandus Peresius de Andrada* in Chinam penetravit. Imo et *S. Franciscus* anno 1552. eorsum ire cogitavit. Non multo post autem *Riccius* aditu sibi patefacto, alii etiam Religionis Christianae magistri, dum Calendarii, et rei tormentariae peritiam venditarent, etiam Doctrinae Evangelicae propagandae nacti sunt opportunitates. — Inter Consvetudines jam ab antiquo, licitum erat viris plures ducere uxores, quarum unam domi servarunt, ceteras vero variis in locis disposuerunt: quare adulteros extremo supplicio affecerunt. Lupanaria in suburbiis, et non in urbibus erant. Nuptias tempore novilunii Martio mense, quo annum inchoare solebant, celebrarunt inter convivia, splendide et magno apparatu. Matrimonia pro suis prolibus parentes contrahunt; publica prolium educatio ad Mandarinos pertinet. Vestitu longo, Cibo frigido, et potu calido utuntur. Mortuos terrae mandant; luctuosae vestes sunt albae. etc. Autochiria ad avertendum aliquod infortunium erat licita, quae Sinensium ignaviam, effeminatique animi dejectionem palam prodit.

§. 3.

§. 3. *Status Politicus, et Forma Regiminis.* Apud Chinenses fundamentum regiminis semper fuit obedientia, quam filii parentibus, hi vero Imperantibus continuo exhibere obligabantur. Viget hic et hodie despoticum imperium, nam Monarchae verba et voluntates sunt leges; tyrannidem tamen aegre possunt exercere, quoniam de consvetudine ad lenitatem stringantur; Monarchae publicus titulus est: *Filius Coeli*, *Sanctus Imperator*, *Summus et unicus Dominator terrae*, communiter autem *Pater* appellatur. Supremi officiales Imperii, *Mandarini* vocantur, qui ex eruditis, vel bellica virtute conspicuis viris eliguntur. Ex eruditis constituit Monarcha provinciarum Proreges, Consiliarios et Judices; inter quos est certus ordo, nam minores *Mandarini* suos superiores; et hi iterum Monarcham flexis genibus alloquuntur. Tales Mandarini ut Judices *Tutan* appellantur, qui causarum totius imperii sunt disceptatores, in administratione justitiae maxima servatur severitas, latrones enim et homicidae perpetuis carceribus custodiuntur, donec flagris aut fame vitam miseram terminent: penes quam tamen severitatem, sentantiae executio adeo est tarda, ut maxima condemnatorum pars in vinculis moriatur. Fures flagri verberibus crudelissimis plectuntur. Judices injusti esse non possunt: quia summus Senatus in actiones Judicum serio invigilat; prout et oculti regis exploratores fidelissime Magistratualium actiones observare solent. Summam attentionem meretur

retur Chinensium ista constitutio, qua ad honores et dignitates non ratione nobilitatis, aut stemmatis, sed unice eruditionis, ac ratione meritorum eluctantur; unde et nobilitas non ad posteros haereditario jure, verum ad majores acquiritur; v. g, filius patrem aut avum nobilitate potest, non autem suos successores. — Imperium Chinense initium sumsit a dominatu Prosapiae *Tscheu*, anno ante Ch. 1123. verum societates admodum imbecilles erant usque ad *Pingvangum* seu annum ante Christ. 770. Ab *Alexandri* M. aetate sub *Tsenkue* facta Chinensium sunt dilucidiora. Successivis aetatibus, ad annum ante Ch. 258. minorum gentium Principes *Zing* adeo suam potentiam auxerunt, ut familia *Tscheu* debilitata, plane vilipenderetur. Neque potest verosimilior Chinarum origo altius repeti, quam ab hac familia *Tsina* seu *China*, quae ob virium amplitudinem adeo adolevit, ut etiam exteris, imprimis vero Indis inotesceret. Ex hac familia *Ivanes* quidam, sublatis prius suis aemulis ab anno 247. usque 210. ante natum Ch. absoluto praeesse coepit imperio; qui etiam *Schihoangti* seu *Augusti* sumsit nomen. Post cujus mortem, sub ejus filio minus mente valente, tantum imperium in partes scissum, et procerum factionibus plane dissipatum est. Turbidis his Imperii temporibus, celebris praedonum dux *Lieupang* oportunitate usus, dissentientes proceres tempestive adortus, circa annum ante Ch. 200. feliciter eos in ordinem redi-

redigendo, totum Imperium Chinense, jam virium robore, jam clementia, aut etiam simulatione sibi subjugavit; et deinceps Imperium in se et in successores, sub nomine *Hang* jure hereditario transtulit; a quo Historia Chinensis certioribus principiis innititur, et etiam ad Historiam Universalem influxum majorem habere coepit. Itaque inde ab anno ante Ch. 200. ad nostra usque tempora, Chinense Imperium, e septem Familiis variis, sibi succedentes Monarchae gubernarunt: et quidem Stirps *Hang* ab anno ante Ch. 200. usque annum Ch. 220. ac proin 420. praefuit. Ex qua stirpe orti Imperatores, plane usque Sogdianam protulerunt regni sui fines: et cum Romanis, Parthis, et Kamtschatkae incolis, commerciorum societates junxerunt. Tandem postremi hujus stripis reges, neglecta reipublicae cura, totum se Eunuchis permiserunt; unde belli ducum seditionibus conflatis, vastum hocce Imperium, in partes disjectum est. Quibus turbidis temporibus imperii nexum tres civitates dissolverunt; quem tamen nexum circa a. Ch. 265. *Jen* rex *Tsini* denuo restituit, verum haec animorum consensio non erat diuturna; nam factiones dudum sub cineribus gliscentes, imperium in duas partes sejunxerunt, nempe in septemtrionales, et Meridionales. In Septemtrionali regno ad an. Ch. 386. ex familia *Goei*, inter maximos tumultus, usque annum 581. summam rerum obtinebant. In Meridionali autem regno, Sinas moderabatur familia *Ju-*

enti ab anno 316. usque ad 420. ac deinceps diversae quatuor familiae, prout factione aut viribus valebant usque a. 589. obtinuerunt; quarum ultimi imbecilles et effeminati, vel Bonsiis, vel Eunuchis, aut plane feminis se et regnum concrediderunt. Inter tantas rerum convulsiones, *Jankien* feliciter interveniens; ignavos tam Septemtrionalis quam Meridionalis regni reges in in ordinem revocando, eosque throno deturbando, summum apud Chinas Imperium obtinuit, et III. Familiam *Tang* condidit a. Ch. 617. cujus successores 300. annis Chinae praefuerunt; donec tandem a. 907. principes regii de successione decertantes, tumultuantibus ducibus occasionem praebuissent imperium in partes lacerandi. Qua tempestate ad imperii integritatem conservandam, infaustissimo consilio *Procuratores* Imperii sunt constituti; inter quos *Kitani*, *Nudschii* et *Songae* potentissimi; seorsim sibi principatum stabiliverunt, usque a. Ch. 1276. quo anno *Mogoles* Sinis imperare coeperunt, quorum familia regnans V. *Juen* vocabatur; ex qua stirpe usque a. 1368. novemdecim Imperatores sibi successerunt; donec tandem post 92. annos Mogoles throno deturbati, ad avitas suas sedes retrusi fuissent. Qua tempestate Stirps *Mingarum* a. 1368. summa potestate dominari coepit, usque an. 1644. ex qua Stirpe 17. Impeperatores sibi invicem successerunt. Sed hujus etiam familiae dominatus haud mansit diuturnus; nam exorta ob crudelitatem eorum factione, ipsos

ipsos etiam *Mingas* imperio privarunt; et summa rerum delata est Familiae VII. nempe *Zingae* seu *Mandschu* a. Ch. 1644. ex qua Stirpe in hodiernum usque diem, Chinenses jure hereditario sibi Imperatores habent.

§. IV. *Status Belli, et memoria Principum Virorum.* Post dispersionem Babylonicam etiam China non multopost coli coepit. *a*) Unde conjecturam Chinensium omnino vanam esse, vel ex eo sufficienter intelligere possumus: quod sicuti sibi duos oculos, aliis populis vero omnibus unum tribuunt, sic et vetustiora natalia perperam contendunt; mundi humanique generis originem et propagationem ignorantes, unde jure ob tales vanitates ab *Harduino b*) redarguti sunt. Ceterum antiquissima Historia Chinensium a Dominatu familiae *Tscheu*, seu ab a. ante Ch. 1123. maxima cum probabilitate deducitur. Quo tempore Chinensium auctor et non Imperator fuisse creditur *Wuwang*, qui *Degvinesio* teste cum 3000. hominum comitatu ex Aegypto veniens, suis sociis prima humanitatis rudimenta proposuit. Successu dein temporis spatio, potissimum ab anno ante Ch. 770. minores Chinensium civitates inter se bella gerere coeperunt, quibus intestinis bellis defunctum *Confucium*, Civitas

---

a) Degvinesius. Scriptor Gallus. Lib. de rebus Sinicis fuse disserit. *b*) Chron. Vet. Test. p. 21. nam ea quae in Confucii libris duobus continentur; longe ante Mosen scripta esse, credat quis velit.

Lu circa an. 478. lugebat ut bellidacem: juxta alios vero ut hominem vaferrimo ingenio praeditum et fanaticum, qui nec sibi praeceptas res, nec hominibus intelligibiles, scripto et verbo tradebat; qui tardius inter Philosophos, demum inter Deos vane adscribebatur. Interim Principes *Zing* circa annum 258. ante Ch. in tantum vires suas augere coeperunt, ut regnanti familiae *Tscheu* formidabiles evaderent; a quorum factionibus, adeo dissipatum est Imperium, ut optimates plerique factionibus intenti, imperium inter se partirentur. Hac dissidentium procerum occassione, *Lieupang* quoniam latronum cohorti praeesset, usus; repente unam post alteram factionem aggressus, brevi tantum omnibus incussit terrorem, ut ceteri ab imperii ambitione secedentes, ipse se in imperio firmaret, ceteros sibi subigeret, imo circa an. a. Ch. 200. se *Coeli filium* appellaret. Haec imperii nova conjunctio haud carebat sua constantia; nam *Lieupangi* posteri novam regum stirpem *Hang* dictam ponendo, summam rerum per 420. annos continuo retinuerunt; donec seditionibus belliducum, florens et firmatum hocce imperium, itidem in partes scinderetur. I. igitur secessio a regia stirpe facta est anno Ch. 220. qua occasione tres civitates potissimum Imperii nexum politicum solverunt, quem licet *Jen* Rex *Tsini* a. Ch. 265. adjunxerit, ad maturiatem tamen seu aetatem perducere non potuit; nam seditiones oculte etiam sustentatae in apertum prerumpentes, repente

In-

Imperium in duo regna nempe: Septemtrionale et Meridionale diviserunt. In Septemtrionali regno, arreptis Sinarum dissidiis, maxima audacia quidam ex familia *Goei* ad occupationes faciendas animum adjecit ea felicitate, ut ejus posteri Imperium stabilitum usque annum 581. constanter retinerent. — Interea autem in regno Meridionali regnum arripuit *Juenti* consangvinitate cum *Jen* junctus, cujus etiam successores usque ad a. 420. regnum retinuerunt; sed deinceps quatuor familiae de regno decertantes, ignavia sua omnem rem pessumdederunt. Tantis regum abusibus oportune intervenerat *Jankien*, qui Septemtrionale imperium familiae *Goei* adimens, mox suorum militum hortatu Imperatoris nomen assumsit; utque suam dignitatem amplius tueri possit, etiam Meridionalem Chinam cum quingentis armatorum millibus, nemine obsistente ad *Kiam* fluvium invasit et regiam occupavit. Tantam hostium fortunam trepidus Meridionalis Imperator cernens; ut effeminati animi Princeps, propudioso posteritati documento, se in puteum dat praecipitem; unde tamen mox vivus extractus, post 24. annos, privatus felicicior ac rex mortuus est; cui *Jankien*, prout et egenis per omne suum imperium optime consuluit; qui Rex licet illiteratus, ingenio tamen Sagaci et natura optima praeditus, collapsam imperii rem restauravit, et Judicum ac Judicioorum ordinem in meliorem formam redegit; ob quae tanta et immortalia sua merita, post 36.

perii

perii sui annos, ab indignissimo suo filio trucidatus est; quem impium parricidam brevi alter ex seditiosis occidit. Post cujus necem, dum plures seditiosi primores de consequendo throno decertarent; maxima fortuna suos competitores superavit *Lijuen* temporihus *Mahomedis*, qui famosissimae Stirpis *Tang* conditor evadens, mox securitatem imperii in impopulatione maxime consistere posse juste existimans; praeter alios, centum *Bonziorum* millia, connubiis operari compulit. Hujus, et successorum Imperatorum potentia spatio tercentorum annorum, cunctis formidabilis evasit; ideo etiam diversae ad Oxum et Indum gentes, contra iteratas et crudeles Arabum irruptiones, ad potentissimorum Chinensium Imperatorum gratiam confugerunt; attamen a. Ch. 751. commisso ad *Tarasum* decretorio praelio, ipsi Sinenses ab Arabibus victi recesserunt. Ceterum brevi post satis amice vixisse videntur, quoniam ad a. 758. commercium inter se exercerent. Imo a. 798. Arabum Chalifa *Harun*, qui *Carolum M.* splendida legatione convenerat, etiam *Sinas* jam altera vice pari legatione honoravit. Verum circa a. 824. quum Imperantes curam reipublicae iterum Eunuchis concredidissent, Imperantium parricidia fere in consvetudinem venerunt; unde necessario oriundae seditiones adeo crebrescere coeperunt, ut ad a. 907. ultimum ex hac familia Principem, plane belli dux trucidare non abhorreret. Post cujus mortem.

II.

II. Seditio ad a. 907. initium sumsit, et usque a. 960. quinque diversae familiae, viribus et vivendi conditione dispares Imperium usurparunt. Istorum seditiosorum duces potissimum ex *Turkestan*, aut partis Meridionalis advenae erant qui frequenter exterorum auxilio ad solium erant evecti; donec tandem ad a. 960. Primores frequentem hanc principum familiarum mutationem pertaesi, juvenis heredis loco; concordi voluntate Tutorem ejus, meritis celeberrimum virum *Kuamin*, familiae Imperatoriae *Song* avum, Imperii Procuratorem renunciarent. Ceterum neque hujus novae dignitatis constitutione poterant pacari seditiones; nam totum Imperium usque a. 1276. velut navis idoneo rectore destituta, per *Kitanos* et *Nudschios* adeo jactabatur, ut et *Songii* familia, et istorum Seditiones a supervenientibusMogolis contererentur. Tres igitur has celebres factiones vel ex eo juvat brevibus exponere, ut amplius pateat, quibus nam viis vastum Chinense imperium in potestatem et dominatum Mogolum pervenire potuit. Et quidem I. *Kitani* sive *Leao* jam ab a. 713. Meridionali Chinensi Imperatori *Tangis*, nulla vectigalia cunctatione pendebant; eo autem turbulento tempore, quo intestinae contentiones de solio obtinendo Principes *Tangarum* distraherent, ex *Kitanis* quidam *Apaoki* temeraria audacia, violentis occupationibus se dedit; cumque felici armorum successu finitimos perdomuisset, etiam in Sinarum ditiones irruptiones fecit; cunctaque

que devastando, ac incolis terrorem incutiendo ad a. 906. contendentes inter se Principes ad suum obsequium subjugavit, sicque novus *Regni Kitani* conditor evasit. Cujus successores usque a. 1125. in superiore China usque ad *Kaschgaram* fines regni extenderunt. Initio quidem in devictis partibus Imperatores ipsi renunciare solebant; sed postquam *Songios* etiam Principes sibi tributarios fecissent, summi Imperatoris nomen sibi retinuerunt. Verum *Nudschii* cum *Songis* tandem armorum societatem ineuntes, adeo vires *Kitanorum* fregerunt, ut majori ex parte *Nudschiis* obnoxii evaderent; qui tamen memores antiquae suae libertatis, advenientibus *Mogolibus* ad *Nudschios* subigendos promte adfuerunt. Pars tamen altera sub nomine *Karakitanorum* regnum suum continuo retinuit, donec a Mogolibus etiam subacta fuisset. — II. Factio erat *Nudschiorum* qui alias *Kin*, seu *Moco* vocabatur, hi ad Meridiem a *Korea* usque ad fluvium *Amur* vastam terram occupantes, inde ab a. 926. *Kitanorum* vectigales erant; quorum jugum ad a. 1114. duce *Okota* excutientes, novum *Nudschorum* regnum condiderunt, quod usque a. 1234. inconcussum et formidabile etiam perstitit: nam hi non tantum omnem septemtrionalem Chinam in sua potestate habuerunt, sed etiam *Songas* ad Meridiem arctius in froeno tenuerunt; cumque *Songae*, metu an odio? potentiam *Nudschiorum* vererentur, successive Mogoles instigaverunt, ut collatis simul armis *Nudschios*

schios aggrederentur; prout Mogoles etiam eos brevi subjugarunt. — III. Factio erat *Songarum*, quae magna auctoritate jam ab a. 960. dominabatur, et viginti duos milliones agricolarum in suo regno complectebatur. Attamen ad a. 1000. propudiosam pacem cum *Kitanis* inire sunt compulsi ea conditione: ut quot annis 100. millia aureorum, et 200. millia sericorum voluminum dono mitterent. Ab hoc tempore sensim imperii *Songarum* dignitas vilescere coepit eo a fortiori: quod ad gubernacula tractanda denuo Eunuchi adhiberentur, qui etiam ad profligandos *Kitanos* a. 1100. infaustissimo consilio *Nudschios* conduxerunt; nam *Nudschii* bello feliciter confecto, mox contra ipsos *Songas* arma victricia convertendo, captis duobus Imperatoribus, ad a. 1125. fluvium etiam *Croceum* transiverunt. Hoc in extremo periculo multi *Songarum* ad Meridionales plagas se recipientes, novum quidem regnum condiderunt, sed *Nudschiis* tributarium; quod ab a. 1128. usque 1276. etiam perstitit: quo tempore *Mogoles* feliciter *Sinas* tam ad septemtrionem, quam ad meridiem debellarunt; ac ob Sinicam ignaviam, Imperantium imbecillitatem, effeminatumque eorum animum, summum Chinarum Imperium, Mogoles obtinuerunt.

Mogoles alias *Juen* a. 1276. imperium Chinense jure belli obtinuerunt, et 92. annis, sub 19. Imperatoribus Dominatum exercuerunt· atque hoc tempore primo Chinenses exterorum jugo

jugo parere debebant, si tamen jugum dici possit; quoniam Chinenses, (prout ipsimet confitentur:) novi isti Mogoles Imperatores, tam fide sincera, quam indole optima, ac innata beneficentia, adeo cives sibi conciliarunt; ut etiam sera posteritas omni tempore, Mogolum Imperium cum pia quasi recordatione: *Xim Chao*, seu *Dominationem Sanctam* appellarent. Istis in China imperantibus, *Marcus Paulus*, et *Mandevilius* in Chinam iverunt, quos suis legibus et institutis vivere Mogoles permiserunt. Ceterum Chinenses, hos licet optimos Mogoles Imperatores; non tamen diu patiebantur; Meridionales enim Accolae, animos et vires unientes, duce quopiam *Tschu*, qui antea *Bonsiis* serviebat, tantam contraxerunt hominum multitudinem, ut a. 1368. Mogoles in antiquas suas sedes relegarent.

Mingarum stirps, ab anno 1368. usque annum 1644. Jus succedendi obtinuit: qua ex familia inter graves dissensiones 17. Imperatores, regni gubernacula tenuerunt. Horum primus *Tschu* ut primum se in throno firmavit, mox novum nomen *Hiongvu* sumsit, quasi ex antiquissima celeberrimorum Principum familia ipse ortum haberet; sed nec deerant ad Imperantis voluntatem, locupletissimi Stirpium commentatores, qui ex antiquissimis scriptis, hanc stirpem jam olim maximis elogiis celebratam fuisse, imo de antiquitate cum ipso plane *Fohi* decertare posse docuerunt. Ceterum *Tschu* latis saluber-

berrimis in suae prosapiae, et regni emolumentum legibus, almam Imperio restituit pacem; donec eidem viginti annorum quiete perfruenti, *Timur* de imperio non leve facessisset negotium; interim bello necdum in apertum prorumpente, jam ipse *Tschu* moritur, quem brevi et *Timur* comitabatur. Ac proin prosapia *Mingarum* incolumis, amplius se in solio firmare potuit. Verum ad a. 1586. Meridionalem Chinae partem denuo *Nudschii*; qui jam hoc tempore novo titulo ac nomine *Mandschui* vocabantur, internum regni statum turbare coeperunt; qui licet gravem terrorem Imperanti incusserint, amplius tamen malum in ipsis imperii visceribus dudum sustentatum erupit; summo seditionis auctore *Litsingo*, qui etsi infimis parentibus, ingenio tamen acuto ad omnes machinationes natus; magna conjuratorum copia ipsam regiam Pekinensem urbem ingressus, intrepidus aulam occupavit; et ita a Praedone inchoatam *Mingarum* stirpem, alter ejus farinae homo exstinxit. Hoc in subitano seditiosorum periculo, ultimus *Mingarum* Imperator ut erat ignavus, ita crudelitati secuturae remedium quaerens se suspendit, et togae suae limbo haec inscripsit: *De me statue quod placuerit: parce populo nocere: satis ille infelix fuit, quod me tamdiu dominum tulit.* Ceterum imbecillis hic imperator, contra rebelles perprius jam *Mandschuorum* auxilia, duce celeberrimo *Usanguejo* expetiit, qui etiem confestim cum 80. millium equitatu ad portas Pekinen-

nen-

nenses aderant, qui non tantum *Litschingum* jam tunc fugientem, sed e vestigio persecutum deleverunt; sed etiam *Mingarum* omnem familiam exstirparunt; thronumque Chinensium, familia *Mandschu* seu *Zingae* jure belli seu fortioris sibi adseruit.

Mandschu Zingae stirps, olim *Nudschi* vocabatur; quae Sinis omnibus, inde ab anno 1644. in hodiernum usque diem invicta imperat. In hac familia quo ad successionem observatur is ordo: ut Patrem continuo filius excipiat. Primus ex hac familia erat *Schüntschi* qui totum imperium usque a. 1661. ad summam tranquillitatem posuit. — *Kanghi* contra Russos continua bella gessit; a clementia tamen laudatissimus Princeps fuit; qui etiam a. 1692. Christianis facultatem concessit sacris suis libere utendi per totum Imperium; tandem mortuus est a. 1722. cui successit *Jongtscheng* qui benignissimum patris sui edictum de Christianis revocavit, seque ipsis severissimum exhibuit. *Kienlong* natus a. 1710. successit in imperio 1736. princeps omni veneratione dignissimus, ipse Literator, et Literatorum cultor erat; prout et Christianorum benevolus amicus; qui cum suis cognatis plane Cerimonias Christianorum invisere solebat. Cujus nepos hodie regnans, pari fervore Christianos prosequitur; imo Evangelii Praeconibus liberum confert aditum in totum Imperium.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Historiae Chinensis antiquissimus parens est *Semazien*

zien, qui ex commentariis solicite conquisivit prima lineamenta imperii, ab hujus tempore Si nici annales antea steriles jam variis recensionibus, nominum annorumque indicationibus magis ad fidem exacti sunt; quare scientias et artes mature apud eos floruisse vel ipso sufficienti probamus argumento, quod anno Ch. 150. jam. Sinenses in Chartis papyraceis scripserunt; ante autem in lignis; imo Indorum exemplo jam anno Ch. 1100. typis etiam utebantur. Antiquioribus quidem monumentis, sed obscuris; fidem deferentes: crediderunt apud illos primum hominem fuisse *Puonku*, a cujus aetate usque ad *Fohium* centum millibus annorum jam apud eos regnatum erat a decem principum familis. *Fohium* dicebant primum Legislatorem, Literarum inventorem, et summum Doctorem, qui etiam ob excellentes animi dotes, in Regiam dignitatem sublimatus, familiam *Sanhoang* inchoavit; et simul Astronomiae observationis Auctor extitit: ex cujus institutione deinceps Astronomia amplius excoli coepit. At tamen sub an. ante Ch. 2157. *Hi* et *Ho*, Astronomicae rei Praefecti, morte incuriam suam luerunt, quod vino sepultos solis defectio deceperat. Tam antiquae Sinensium Astronomicae observationes, etiam ipsum *Degvinesium* nimis moverunt, ut in Praefatione exponit. Igitur Sinicas illas eclipsium observationes probabilius dicimus ex Babylonicis Nabonassaris mutuatas esse, secus enim jam perprius frequentius et accuratius

solis

solis defectiones adnotatas habuissent; licet *Simplicius* apud *Prophyrium* referat: *Callisthenem* tempore *Alexandri M.* ad a. ante Ch. 331. Babylone observationes Chaldaicas 1903. annis jam vetustiores reperisse. Post *Confucium* quidem multi rerum Divinarum et Humanarum scriptores invaluerunt, quorum ingenii monumenta majori ex parte injuria temporum deperdita sunt. *Laokius* quidem temporibus *Confucii* jam aliam sectam instituit, propagavitque cum gravi religionis mutatione; verum longe amplius Chinas perturbaverunt duo celebres Philosophi *Yang* et *Me*, qui imperante *Kienvang*, dupplicem et contrariam Doctrinam tradere coeperunt de officiis. Hos tamen omnes, sua subtilitate superavit *Confucius* ad an. ante 450. — Temporibus nati *Christi* floruit Imperator *Minti* Literarum et Eruditorum fautor eximius; sub quo etiam principia religionis *Foe* adoptata et propagata sunt. Chinenses in genere tam ad imitandum, quam ad inveniendum omnibus genti bus solertiores comperimus; quoniam ad scientias et artes, ipsa soli, ingeniique felicitate amplius ra perentur: unde etiam Architecturae, Statuariae et pictoriae artis, hodie etiam ut Orbis Magistri habentur. Ars item Typographica et tormentorum bellicorum usus adeo antiquus est, ut plane inventorem ignorent. Praeterea jam dudum curribus utuntur veliferis, quos adeo dextere dirigere sciunt; ut illis brevissimo temporis spatio quo velint terra ferrantur. Supreme autem,

aut

aut plane ad admirationem artium culturam Chinensium commendant Figulina illa opera summe perlucida, et nive candidiora *Porcellana* dicta: quae non tantum apud nos Europaeos, sed etiam in universo cognito orbe in maximo pretio sunt. Ea parant hoc modo: Cochleas marinas ovorum testis miscent, quibus varias species addunt, inde massam confectam sub terram condunt; eamque ibi ad nonagesimum vel centesimum usque annum macerari permittunt; ac suis heredibus thesauri loco relinquere solent; et hodie etiam tali massa utuntur, quam eorum avi, vel atavi olim praepararunt; porro et nunc ex veteri quopiam instituto observant; ut qui antiquam massam suffert; in ejus locum recentem ponat. Hujus confectionis peritiam adeo oculte sibi reservant; ut in hodiernum usque diem, omnes aliae Gentes ignorent. Totam Chinensium Historiam haurire est ex *Deguinesio* Scriptore Gallo; ejusque commentatoribus uti: celeberrimo *Schlözero*, *Carolo Michaeler*; et aliis.

Ca-

Caput XV.

HISTORIA INDORUM.

§. 1. *Statistico Geographica Notio.* India Asiae vastissima et nobilissima regio, nomenclationem ab *Indo* fluvio accepit; existitque hodie etiam duplex, nempe *India intra Gangem*, et *India extra Gangem.* Tertiam Indiam vocant alii *Indostan* seu Imperium Magni Mogolis. Verum *Joannes Barrius* auctor est: *Indiam intra Gangem* ab incolis *Indostan* vocari. Divisionem horum regnorum, uti et urbium nomina jam superius *a*) exposimus. Quare hoc loco statistica ejus notio est sequens: India ad septemtrionem habet Caucasum; ab occidente Persiam; ab Oriente Chinam; ad Meridiem mare Indicum. De vetustissimis Indorum initiis nihil certi statuere possumus; ast ut ab *Alexandro M.* India fuit subjugata, in tractu suo 5000. opidorum numeravit: *b*) quo tempore urbs clarissima et maxima fuit *Nissa* in monte *Mero* a Baccho aedificata. Fluvii praecipui et maximi sunt: *Ganges* et *Indus*, uterque novemdecim annes *c*) recipit; *Ganges* Indiam in duas partes dividit. Montes celebriores sunt *Imaus*, *Emodus*, *Paropamisus*, a quibus tota dein

---

a) In Proleg. Hist. hujus T. 1. p. 16. seqq. vide et Strabonem. Plinium. Mercatorem. *b*) Plinius. L. 6. c. 17. *c*) Strabo. L. 15. Plin. L. 6. cap. 18. seqq.

dein regio in planitiem immensam decurrit. *a*) Quod fertilitatem et opes Indiae attinet: incolae nunquam patiuntur famem ob fructuum esculentorum copiam; dives item auri, argenti, aeris, ferri et elephantorum: felix äere puro; aqua limpida, pascuis laetis, hominibus artium scientia praestantibus; qui vitam etiam ad ducentos annos producunt; humanissimique erga advenas existunt adeo: ut nec quidem hostium terras tempore belli, aut incendiis, aut diris populationibus vastare soleant. *b*) Quam barbarorum humanitatem et aequitatem jam dudum cultiores etiam gentes juste admiratae sunt. Vitam adeo longaevam carnibus crudis *c*) et piscatione sustentant. Corpus lino vel lanis; aut etiam ferarum aviumque pellibus tegunt; *d*) et aspectu Aethiopibus sunt similes. Ad orientem gentes complures, lingva inter se discrepantes, aliae pecuariam rem tractant; aliae nomadum more herbis et fructibus vescuntur. Multa medicamenta habent, potissimum arborum radices tam salutares, quam noxias. Serici tanta est copia, ut reliquis orbis partibus fere sufficiat. Serpentes innumeri, prout et formicae, quibus incolae etiam vescuntur. Quamvis autem ante *Alexandri M.* victoriam Indi fuerint ignoti; tamen de eorum utcunque ordinato imperio dubitare non

R pos-

a) idem. ibid. c. 17. Diodor. L. 2. c. 35. Strab. L. 15. p. 433. *b*) Diodor. L. 2. c. 35. *c*) Herodot. L. 3. c. 38. *d*) Idem. ibid. c. 98.

possumus; quoniam jam tunc in utraque India Reges, ut in politicis videbimus, certis legibus dominabantur. Hodie urbs primaria est *Calechut*, totius orientis emporium celeberrimum; sunt etiam alia emporia uti; *Campaja*, *Decan*, *Batticalla*, *Canonor* etc. Lacus omnium maximus est *Chiamay* cujus circuitus quadringentorum milliarium est. Navigatio circa Indiam est laboriosissima simul et periculosissima, nam teste *Solino: Indica maria habent balaenas ultra spatia quatuor jugerum. Sunt et quos physeteras nuncupant*, *qui enormes ultra molem ingentium columnarum*, *super antennas se navium extollunt*, *haustosque fistulis fluctus ita eructant*, *ut nimbosa alluvie plerumque deprimant alveos navigantium.* Mercimonia tamen hic in multis locis florente in statu vigent; potissimum aromatum, lapillorum, gossypii et Serici; quod mirari vel ideo non debemus: quia Artifices apud eos in magno pretio sunt: qui non tantum a tributo sunt immunes; sed insuper a rege etiam frumentum accipiunt.

§. 2. *Status Religionis*, *et Consvetudinis.* Indi antiquissimis temporibus Jovem pluvialem, et fluvium Gangem coluerunt: in quorum honorem solemni cum pompa mittere solebant elephantos auro, argento aliisque pretiosis lapillis ornatos, *a*) quibus diversa animalia adjunxerunt. Ceterum *Plutarchus b*) dicit: Indos ante adventum

a) Strabo. L. 15. p. 466. *b*) de Alex. T. 1. p. 548.

tum Alexandri M. nullos Graecorum Deos honorasse. Tardius tamen credere coeperunt *Bacchum* apud eos natum esse: *a*) ac deinceps Herculem coluisse. Modum autem sacrificandi *Strabo b*) sic refert: *Nemo ex Indis coronatus sacrificat, nec adolet, nec libat: victimam non jugulant, sed praecluso spiritu necant, ut integra, non manca Deo offeratur.* Unde inferimus temporibus *Alexandri M.* Indos jam Deum unum verum coluisse, eumque Spiritum esse; quem per excellentiam *Cartam Parabramam* vocant; cujus Religionis Doctrinam in celebri sacro Libro *Venda* contentam, Indis e coelo fuisse projectam firma fide crediderunt; et ut hanc doctrinam homines amplius addiscerent, Deus misit a se emanatum spiritum, quem *Bramam Vistnoum* et *Schivam* compellant; ex quibus plures minores Dii successive sunt nati. A summo Deo nempe *Carta Parabrama* crediderunt conditum fuisse Mundum spirituum; ut deinceps in summa beatitate persisterent; sed illi hac beatitate non contenti, brevi deficientes, meritas rebellionis poenas acceperunt, in tenebras conjecti. Ut tamen amissam felicitatem denuo recuperandi occasionem nanciscantur; idem Deus in eorum gratiam, Mundum hunc asspectabilem condidit; ut spiritus alli impuri deinceps per varia animalia transeundo, semet per-

R 2 pur

a) Didor. L. 3. c. 63. Plinius. L. 6. c. 22. *b*) Strabo. L. 15.

purgarent, capacesque felicitatis denuo evaderent. Sed quia multi in concepta labe mordicitus persliterunt; ad eos salvandos necessum erat iteratis vicibus *Vistnoum* in hunc mundum misisse; qui etiam in varia forma jam decies apparuit. Jam ex his, licet vanis religionis principiis patet: quod Indi animae immortalitatem, crediderint; prout et Unum Deum, creatorem omnium, remuneratorem bonorum summa felicitate, et vindicem malorum, iis in poenam, continuam transmigrationem irrogando. Hinc justitiam, aequitatem et humanitatem, pro supremo actionum humanarum principio semper habebant. Cura Sacrorum olim et hodie est penes *Gymnosophistas*, qui alias *Brachmanni* dicuntur; qui simul sunt Doctores gentis, Legum interpretes, et Principum Consiliarii. De his *Bardesanes a*) sic loquitur: *Brachmanes ex majorum et legum traditione neque occidunt, neque simulacra colunt, nec animantia, non inebriantur, vino et sicera abstinentes, nullaque malitia contaminantur Deo addicti.* Quod porro apud omnes gentes esset exoptandum. Praeter hos, erat etiam aliud genus Sacerdotum: (fere sicut hodie religiosi:) *Abduti* dicti, vel etiam *Seres*, de quibus idem Bardesanes *b*) dicit: *apud Seres lex est, nequis homicidium committat, scortetur, furetur, aut simulacra adoret.* Qui interim

---

a) Apud. Euseb. de P. E. p. 275. *b*) idem. ibid.

rim lanificio sunt nobiles, *a*) coetum aliorum hominum ad tempus fugiunt et abstinent; et hoc ipso postea putant *b*) sibi ad omnia flagitia commeatum factum esse. Imo si vita ipsis gravis esse videatur, se vivos comburunt. Talia Brachmanorum instituta, Serumque praecepta; in aliquibus v. g. in abstinentia ab animantibus, imitatio videtur esse consvetudinis antediluvianorum; qua aetate nullas carnes gustabant. Vino nonnisi in sacrificiis utebantur. *c*) Conjuges habent multas, quarum alias obedientiae; alias vero prolis suscipiendae, aut voluptatis gratia accipiunt. In quibusdam regionibus feminae jam septimo aetatis anno sunt maturae. In genere autem Indorum mulieres sunt admodum castae, nec alia mercede quam elephanti se corrumpi patiuntur. Nubiles a parentibus ducuntur in locum publicum, ubi in lucta, aut alio exercitio, victoribus in praemium elocantur. Uxores, cum maritis suis mortuis, eundem ignem ingredi audent, imo lege obligantur, *d*) ad evitandam veneni dati suspicionem; et ut *Propertius* *e*) ait: *iis — pudor est non licuisse mori.* Interim sacris Christianis plurimos in India dedisse nomen a. Ch. 65. complura monstrant indicia, maxime autem *S. Xaverii* Indorum Apostoli Epistolae. Imo per

a) Plinius. L. 6. c. 17. et 22. *b*) Gerardi Mercatoris Atlas minor. ab I. Hondio illustratus. p. 621. *c*) Strabo. L. 15. p. 450. *d*) Aelianus. Hist. var. L. 7. c. 18. Strabo. L. p. 435. *e*) Propertius. L. 3. Eleg. 11.

per ejus successores Missionarios, jam in ultimas Indiae oras, usque *Taprobanen* et Malabariam religio Christi laeto fructu prolata est. *a*)

§. 3. *Status Politicus, et Forma Regiminis.* Indi jam antiquissimis temporibus Regibus subesse videntur, et antiquis suis institutionibus in hodiernum usque diem magna constantia inhaerent, Unde sicut olim, ita et hodie universa gens in septem ordines est divisa: I. erat Philosophorum, seu Gymnosophistarum. II. Agricolarum. III. Pastorum. IV. Artificum. V. Militum. VI. Ephororum, qui in toto regno inspicientes, ea quae observarunt, fideliter Regi retulerunt. VII. Ordinem constituerunt, qui publica regni officia penes Reges gesserunt, hi erant numero paucissimi, sed nobilitate, ac prudentia maxime conspicui: ex his enim ad Regum Consilia, ad rempublicam gubernandam, et ad res civiles dijudicandas constituerunt. Leges Publicae in Libro Brachmanum religione alioquin consecrato existunt; plurimi tamen utuntur legibus non scriptis, in quibus, uti et in contractibus est maxima simplicitas, sine litibus enim, et sine testibus, ac sigillis, unice honestati et conscientiae credunt; unde patet eos non esse litigiosos. Qui enim falsus in ferendo judicio deprehenditur, extremis digitorum artibus decurtatur. Mem-

---

a) Cosmas Indicopleustes. L. 3. p. 178. in Coll. Patrum Graecorum Montfauconii T. II. Item la Croze. Hist. Christianissimi Indorum p. 74. seq.

Membro alterum spolians, praeter talionis poenam truncatur et manu. *a*) Siquis artifici manum vel oculum ademit, is caput amisit. Ex antiquo instituto magnopere observatur nobilitas sanguinis, ideo ex una classe non licet transire ad aliam; ad quod impediendum, etiam promiscuum prohibetur matrimonium. Indi pecuniam in usuram non locant, neque accipere licet. Senum otiosorum nulla praerogativa, sed prudentum et industriosorum Virorum. Annonae pretium nunquam augetur. Rex olim eligebatur a populo, liberos non habens, et si casu postea susceperat, mox deponebatur, ne regnum fiat hereditarium; qua constitutione potissimum Brachmanes eligebantur Reges. His a populo dabantur XXX. Regni Rectores; nunquam unius verum plurium sententia damnabantur rei. Rex licet casu delinquens, morte puniebatur. *b*)

§. 4. *Status Belli et memoria Principum Virorum.* Historiam Indorum potissimum Scriptores ante *Alexandrum M.* ignotam declarant verum numerosissimi incolae, qui nunquam suis finibus emigraverunt, neque bellis intestinis saevire in visceribus patriae amarunt. Ab externis vero hostibus admodum vastati erant raro, manifesto erunt argumento: ut credamus eos ante *Alexandrum M.* jam florens imperium habuisse, potentemque nationem exstitisse. *c*) Imo *Plinio*

a)

---

a) Aelian. Hist. Var. L. 4. c. 1. Strab. L. c. p. 435. seq. *b*) Plin. L. 6. c. 22. *c*) Megasthen. in Strabo lege Arrianum. p. 318.

a) teste, iis ante *Alexandrum* tribuunt. sex mille quadringentos quinquaginta annos, et tres menses, quibus summum imperium exegerunt. Sed vane! quoniam vetustiorum Scriptorum testimoniis comprobare deficiant. Si tamen consvetudinem et similitudinem consulamus; ut quam plurimi eruditi autumant, illi ab Aegyptiis originem ducere videntur: nam Aethiopibus exceptis, illi omnium Asiae populorum erant bellicosissimi. *b*) Quos primus celebris ille *Dionysius* armis armatos, timpanorum et cymbalorum pulsu praelia celebrare instituit. Qui ex India discedens; eis Regem praefecit *Spartebam* amicum rerum bellicarum peritissimum, qui post 52. annos moriens, Imperium filio suo *Budyae* viginti annos regnaturo reliquit: cui *Cradevas* in regnum succedens; quoniam sine prole decessit; communi voto *Bacchum* celeberrimum orbis victorem sibi regem *c*) elegerunt. Hunc *Bacchum* alias *Herculem* apud veteres Indos, annis ante Ch. mille sexaginta et amplius claruisse referunt sub nomine *Rustus Dista.* — Ast certior Indorum Historia repetenda est a temporibus *Alexandri M.* qui Persis domitis, celeberrimam contra Indos suscepit expeditionem, in qua Hydaspem fluvium et Oceanum praetergressus, multos Indiae populos victricibus armis subjugavit. Principesque dedititios fecit

a) Plin. L. 6. c. 17. *b*) Arrian. L. 5. *c*) Diodor. L. 3. §. 63. et 4. c. 3. item Eusebius de Praep. Evang. L. 2. c. 2. p. 53.

cit: ex quibus *Taxilem*, *Abisarum*, et *Doxoream* clementer tractavit; alios vero uti: *Astem*, *Oxicanum*, et *Porum* saevissimis cladibus perdomuit. *a*) De quibus tamen cladibus, Macedones impingvati et dilatati, supra verum, multum sunt ementiti, quum ad *Gangem* usque *Alexandrum M.* scripserunt pervenisse; qui tamen ne ad *Hyphasim* quidem pervenire potuit. Unde Graecorum opiniones de Indiae magnitudine, iis omnibus rejiciendae venient, qui vel semel *Ptolemaei* tabulas ut decet inspexerint. Ceterum subjugatae Indiae pars, a discessu aut obitu *Alexandri M.* jugum impositum penitus dejecit; et licet aliae etiam gentes ab hoc tempore, Indiae potentiam pernovissent, satius tamen sua potius tueri putabant, quam *Secundarii* seu *Alexandri* jura revindicare. Interim successu temporis *Augustus* tandem Aegypto potitus, deinceps negotiationi Indicae majora addidit incrementa; nam ex sinu Arabico 120. navium classem dimittens, ubi singulis annis non contemnendam utilitatem comperisset, plane usque ad Indiae ostia excurrebat; quo commercio Indis Romana innotuit potentia. Hinc *Porus* *b*) quidam, cui sexcenti Reges paruisse dicuntur,) exquisitis muneribus legatos ad *Augustum Octavium* misit

---

a) Hinc relatio Cl. Bolla, qua regnum Indiae *Poro* Regi ab *Alexandro* M. restitutum magno animo praetenditnr: Hist. Univ. T. I. period. II. Sect. II. c. 11. p. 138. minus sincera videtur. *b*) *Porus* commune nomen Indiae Regum erat.

sit; prout et sub *Claudio* Taprobanae Indorum incolae, Romanorum amicitiam per Legatos expetierunt; a quo tempore usque *Constantinum M.* variorum Indiae Regum nomine, honorifici Legati Romam venerunt: imo in Mesopotamiae civitatem *Batnen* plane terrestri itinere quot annis merces Indicas vendendas deportabant. Ast hodie potissimum cum Persis primigenium serici commercium retinent. Hujusmodi monopolium jam *Justianus* I. Persis adimere, et in reliquam Europam distrahere cupiens, *Serindam* seu Monachos eo expedivit; ut opus hoc addiscerent, et bombyces, sericique culturam Constantinopolim secum adferrent. At post *Justiniani I.* etiam tempora, Indorum Legationes in Europa memorantur. Hodie tamen eorum Legationes, ad Europaeos Principes licet non mittantur, commercialis tamen nexus superest inter Indos et Europaeos, nam a. ch. 1602. plane societas *Indiae orientalis inita* est, *a*) cujus felici successu alii etiam invitati, similem societatem etiam Indiae occidentalis a. 1607. moliebantur. Ceterum Indiae terras propiores *Walid* I. reliquas autem *Mahmud Gazni* expugnavit; ex quo tempore Indicae Historiae fides, accuratione nulli fere concedit. *b*)

§. 3.

---

a) Metteren. L. 24. p. 479. seqq. et L. 28. p. 563. Grotius. L. 11. p. 427. seqq. et L. 16. p. 506. *b*) De Indis, plura legere est apud Strabonem. Herodotum. Diodorum Sicul. Justinum. et Curtium fusissime L. 8. et 9. Arrianus. L. 4. et 5.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Indi generatim ex Lege, Literas non tractant, sed memoriter omnia administrant; tamen propter simplicitatem et vitae parsimoniam, omnia iis prospere succedunt. Omnis scientiarum cognitio est penes *Gymnosophistas*, seu *Brachmanes*; qui praeter Sacrorum curam, etiam Astrologiam, Philosophiam, et Medicam profitentur. Horum Brachmanorum educatio est specialis, nempe in lucem editi mox festivis carminibus honorantur; tamquam essent destinati in ordinem Eruditorum. Educantur maxima attentione, quorum aetas prout magis adolescit, ita etiam Magistros accipiunt elegantiores publica auctoritate ad id promotos, per quos exercentur in disputationibus Philosophicis. Hi ab animantibus et Venere abstinentes, unice seriis sermonibus sunt intenti. Apud Indos ut olim, ita et hodie de lege est, ut nemo ad publica regni subsellia eluctetur, nisi prius Doctorali Laurea insignitus, de omni scientiarum genere probationem tulerit; ac proin Indi pro Gentium norma sunt: ubi officia publica et honoraria, non serptione aut scientiarum tantum ostentatione; sed vera habilitate, tamquam Doctrinarum praemia obtinentur et conferuntur; ac proin gratis in India otiosam suam senectutem quis venditat, quia senectus privilegio caret. Quo, quanto magis carere deberet ille Magister; qui dum de lege, Doctorali Laurea ornari deberet, sola dispensatione, scientias absque pudore belle eludere noscit!

Ca-

Caput XVI.

HISTORIA GRAECORUM.

1. *Generalis Graeciae antiquae Notio.* Graecia nobilissima regio, olim totius eruditionis fons ac mater; ab incolis *Hellas* vocabatur, hodie vero Turci *Haromeli* nominant. Graecia non semper iisdem terminis finiebatur; proprie tamen extenditur ab Isthmo usque Thessaliam: ad orientem habet mare Aegaeum; unde et *Plinius* ait: ab *Isthmi angustiis Hellas incipit. Herodotus* tamen inter Hellas et Pelasgos discrimen facit. Hodie autem Graeciam vocamus illum tractum, qui versus occidentem Jonico mari alluitur; ad Meridiem Libyco; ad ortum Aegaeo; ad Septemtrionem autem vastis montibus a Thracia et Mysia separatur. Haec regio olim ceteras Europae regiones, soli clementia, frugum fertilitate, armentorumque copia longe antecelluit: floruitque fama, doctrina, artibus, imperio et laude bellica. Antiquissima Graecorum tempora omnes scriptores ad an. M. 2093. ab *Inacho* desumunt, *a*) non quidem velut a principio, sed tamquam ab ejus insigni mutatione; nam diversarum Civitatum, ex quibus Graecia coaluit, diver-

---

a) Eusebius P. Evang. L. 10. p. 486. seqq.

versi erant conditores; qui initio quidem ut *Thucidides a*) ait: mari vicini, insularumque habitatores, se se virorum potentissimorum ductu, ad latrocinia converterunt partim proprii quaestus causa, partim ut pauperioribus victum quaererent. Atque ex hac antiqua latrociniorum consvetudine, apud illos mos armorum gestandorum permansit, omnis enim Graecia olim gestabat arma, tam quia aedes munitas nonhabebant, tum quia tuto commeare non poterant. Successu temporis, dum *Pelasgus* regnum adeptus esset, docuit eos tuguria facere ad frigoris, imbrium et aestus incommoda arcenda; item tunicas parare ex coriis; cumque herbis et radicibus vescerentur saepe noxiis, salubriores multo esse glandes de fago persvasit. Propter quae beneficia, item magnanimitate dotibusque alios superasset; regnum est consecutus, ac ejus subditi *Pelasgi* sunt nominati. Ita Syciniorum regnum in Peloponneso *Aegilaeus b*) condidit: prout et *Perseus* regnum Mycenarum inchoavit, et celebre illud diluvium Ogygium circa a. M. 2170. incidit. *c*) *Cecrop*s ex Aegypto in Graeciam veniens, simul Aegyptiorum cultum adtulit; et in Attica Atheniensium regnum instituit; post quem

---

a) L. 1. *b*) Euseb. ex Jul. Africano. Regum series ap. Pausaniam. in Corinth. L. 2. *c*) Simson. ad an. 2244. ponit, multaque de hoc diluvio collegit.

quem mira evenisse cum heroibus ac Diis, Poetae et Historici tradunt. *a*) Porro temporibus *Mosis*, *Oenotrus* Arcadum colonia; Italiam, pulsis inde Umbris, frequentavit: et hi primo ab incerta origine, *aborigines* dicti, tardius ab Italo rege Itali sunt compellati, et regioni Italiae nomen dederunt. — *Dardanus* Dardaniam condidit, cujus incolae postea a rege *Tros* Trojani sunt dicti. Spartanorum regnum *b*) circa an. M. 2847. initia sua vidit, *Aristodemo* rege constituto. Quo tempore Regnum Thebanorum *Cadmo* Phoenicio originem debet, qui dum sororem suam *Europam* *c*) frustra quaesivisset, *Thebas*, condidit; a quo etiam primae literae ex Phoenicia in Graeciam allatae sunt. Similiter etiam *Elisa* seu *Dido*, cum multis civibus in Lybiam veniens, urbem novam Carthaginem dictam condidit. *d*)

Heraclydarum reditus in Peloponnesum. Hercules, *Alcmenae* filius, ejusque posteri *Heraclidae* dicti, magnae mutationi occasionem praebuerunt. *Hercules* enim in sua juventute Thebas translatus, ut primum adolevit, mox eam urbem ab *Erginni* dominatu in libertatem asseruit, ob quod generosum factum Rex Thebarum

rum

---

a) Joan. Meursius, in Cecropia, et Athenae. *b*) Pausunias L. 3, in Laconicis. *c*) idem. in Boeoticis. L. 9. Diodor. Sic. L. 4. c. 2. Palaephatus. de incredibilibus. c. 16. *d*) Justin. L. 18. c. 4. seqq. Joseph. contra Apion. L. 1. Strabo. L. 17.

rum *Creon*, ei filiam *a*) suam *Megaram* in uxorem dedit. Ex eo sangvinis nexu sub *Eurystheo* rege varia superavit certamina; imo cum *Jasone* inter Argonautas in Colchidem, ivit, inde ad Troadem delatus, *Hesionem Laomedontis b*) filiam a manifesto liberavit periculo: ob quos, aliosque exantlatos labores Clarissimo nomine florerrre coepit: verum eo mortuo *Eurysthaeus* rex metuere coepit; ne ejus posteri *Heraclidae* dicti, regnum materno et paterno jure sibi debitum repeterent: ideo totam ejus familiam extingvendam decrevit; hac machinatione *Herculis* posteri ex Peloponneso exturbati, se in Doriensium patriam receperunt; quorum ductu Dorienses, regna ad se pertinentia saepe recuperare conabantur, sed semper rejecti sunt; *c*) donec tandem anno post Trojanum bellum octvagesimo, seu Per. Jul. 3610. *Heraclidae* ducibus *Temeno*, *Cresphonte* et *Aristodemo* magna vi aggrederentur; ubi dum terra marique victores *Tissamenum Orestis* filium e possessione ejecissent, Peloponnesum sorte trifariam diviserunt, ita: ut *Temenus* obtineat Argos, *Cresphontes* Messeniam, *Aristodemi* filii autem *Procles* et *Eurythenes* Laconiam seu Spartam; quas regiones deinceps non tantum jure, sed etiam armis *d*) sibi de-

---

a) Diodot. Sicul. L. 4. p. 152. Pausanias. L. 9. c. 37. *b*) Apollodorus. L. 2. c. 96. seqq. Diodot. L. 4. p. 171. *c*) Euseb. Praep. Evan. L. 5. c. 20. Apollod. L. 2. p. 123. *d*) Pausanias. L. 2. c. 18. 151.

deberi centendebant. Haec *Heraclidarum* incursio magnis mutationibus per Graeciam occasionem praebuit. *Achaei* enim e vetustis sedibus pulsi; bello sibi aliam regionem postea *Achajam* dictam, quaerere compulsi; feliciter sibi regnum ex priorum Regum stirpe Principem eligentes, denuo constabiliverunt; usque ad *Ogygim*, *a*) quo tempore potestate ad populum delata, Respuplica inducta est; quam tardius Macedones penitus dissolverunt. Ita etiam *Jones b*) aliique Graeciae populi Peloponnesso exturbati, sibi novas sedes quaerere debebant; quorum magna pars in Asiam minorem transivit, ibique magnos terrarum tractus colere coepit; — Atque haec est origo Graecorum Asiaticorum. Successu autem temporis plures coloniae e Graecia partim sponte, partim coacte in varias orbis partes abiverunt: ita praeter tres Asiae minoris provincias, *Joniam*, *Elidem*, *et Doridem;* ad insulas maris Aegaei complures urbes habuerunt, uti: *Tharsum*, *Cisicum*, *Synopen*, *Trapezum*. etc. — In Europa vero *Byzantium*; *Istropolim*, *Dyrachium*, *Siracusas*, *Agrigentum*, etc. — Italia demum a multitudine Graecorum, *Graeciae Magnae* nomen obtinuit; cujus praecipuae urbes erant: *Sybaris*, *Tarentum*, *Cumas*, *Neapolis*. In Dalmatia autem *Masiria*, quae primo vitem et oleum plantavit. Porro in Africa, quinque celebres Grae-

a) Polybius L. 4. p. 270. Pausan. L. 7. c. 1. seqq. Strabo L. 8. c. 1. *b*) Pausanias L. 7. c. 1.

Graeciae urbes *Pentapolis* nomine constitutae sunt. Ex his et aliis minoribus regnis, in *Peloponneso* octo erant celebria, uti: *Argivum*, *Sicyonium*, *Elidense*, *Achivum*, *Corinthicum*, *Arcadicum*, *Messenium*, *et Spartanum seu Lacedaemoniorum.* Similiter et extra Peloponnesum octo erant praecipua, uti: *Thessalicum*, *Thebanum*, *Phocense*, *Doricum*, *Locrense*, *Aetolicum*, *Epiroticum* et *Atheniense.* Haec regna distinctos habebant Principes, qui initio barbarorum more inter se decertabant; donec sensim per institutos Ludos, maxime autem per *Concilium Amphictyonum*, majorem inivissent civilisationem et animorum unionem. Atque ita sensim per culturam ad majorem libertatem adspirantes, liberam rempublicam constituerunt. Sed tardius, ubi imperium in suos socios affectare voluissent; in servitutem redacti sunt: uti Macedonum, Romanorum. Constantinopolitanorum, ac tandem Turcorum; quorum jugum in hodiernum usque diem, inter varias fortunae vicissitudines, dira servitute ferre coguntur.

§. 1. *Status Religionis et consvetudinis Antiquae Graeciae.* — Graecorum primi Dii passim *cursores* a currendo vocantur, uti sidera: unde jam *Plato a*) de primis Graecorum Diis recte sic disseruit: *mihi quidem incolae primi Graeciae eos tantum videntur Deos putavisse,*

S *quos*

a) Tom. 1. p. 397.

quos nunc barbarorum plerique colunt, Solem, Lunam, Terram, Astra, Coelum, quae omnia cernentes continenti cursu ferri, ab illa cursus natura, Deos nominarunt. Hic recte sensisse *Platonem* confirmatur inde: quod consensu scriptorum, primus in Graeciam Deorum cultum intulerit *Cecrops*, qui erat Aegyptius; quare *Herodotus a*) belle dicit: *omnia fere Deorum nomina ex Aegypto in Graeciam venerunt.* Dum *Soli* sacrificarunt, mel libare solebant non vinum; quoniam supremum Numen, alienissimum ab ebrietate esse *b*) oporteat. Prima templa *Jovi Olympio* posuit *Pelasgus*; *Phoronaeus* autem *Inachi* filius *c*) Argis Junoni fecit. Ast Graeci his Diis non contenti, sensim alios etiam homines, quos timuerunt, aut quorum beneficio usi sunt, adorare coeperunt; inter quos antiquissimus erat *Saturnus d*) Coeli filius, sub quo *Noemum* aut *Adamum* latuisse multi *e*) affirmarunt. Ex *Saturno* ortum fuisse *Jovem* crediderunt, cui varia tribuerunt cognomina. *f*) Porro non tantum primi Graeci, sed et tota posteritas, alimenti inventores, ut Deos omnium clarissi-

mos

---

a) L. 2. c. 50. ubi ipsum etiam *Inachum* Aegyptium fuisse statuit. vide et Pausaniam, de Isidis et Serapidis fanis. L. 2. c. 34. L. 3. c. 14. L. 4. c. 22. L. 10. c. 32. Euseb. P. E. p. 491.o *b*) Atheneus L. 15. Pausanias. L. 5. c. 25. *e*) Hyginus. Fab. 225. *d*) Cicero. L. 2. et 3. de nat. Deor. *e*) Bochart. in Phaleg. L. 1. c. 1. Francis. Pomey. Panth. p, 220. *f*) Pausan. L. 2. c. 21.

mos coluit; unde *Bacchus* eo: quod primus boves sub aratri jugum duxerit, modumque vineas conserendi docuerit, tamquam laetitiae dator adeo sibi homines devinxit: *a*) ut persoluto naturae debito, divinos honores adipisceretur. Similibus sacrificiis etiam *Isis* et *Mercurius* dignati sunt. *Ceres* autem non tantum aratri, sed et legum inventor celebrabatur: juxta quas homines jus inter se communicarent, paenaeque metu a vi, et injuria abstinerent. *b*) *Venus* autem non fuit Dea impudicitiae, *c*) sed Conjugii fautrix, quae svasit ubique honestum matrimonium ad replendam incolis terram, juxta illud Creatoris verbum: *Crescite et multiplicamini.* — Religioso quasi cultu colebantur et *Deae*, uti *Diana*, *Apollo* etc. quibus omnibus etiam Ludos sacros solemnes consecrarunt; quales erant *Olympici*, *Pythii*, *Nemaei*, *et Isthmici*, in quibus Virorum praecellentia ingenia potissimum cum meritis innotuerunt: sic *Pythios* ludos in *Apollinis* honorem celebratos constat. *d*) Primi religionis Ministri *Prometheus* et *Orpheus* erant; hic et *misteria* excogitavit; partim ut solos sacrificulos excludendo plebem, ad scientiarum amorem excitaret; partim ut suae Doctrinae, per arcana quaepiam religionis principia,

S 2

---

a) Diodor. L. 1. c. 17. et L. 3. c. 63. 64. *b*) Diod. L. 1. c. 14. L. 5. c. 68. Pausan. L. 9. c. 16 *c*) Hesiodus. Θ. vers. 937. et 976. *d*) Pausanias in Corinth. c. 32. Diodor. L. 5. 67. Ovid. Metam. L. 1. fab. 8.

pia, majorem auctoritatem conciliaret, hujusmodi Misteria celeberrima erant: *Eleusina*, *Thesmophoria*, et *Orgia*. Postmodum Poetae versibus, Philosophi autem convictivis argumentis tamquam Doctores, religionis ritus conservarunt. Ex Poetis Celeberrimi sacrorum ministri erant *Homerus* et *Hesiodus*, qui ex uno principio omnia entia emanavisse docuerunt. Ex Philosophis autem *Thales Milesius*, *Anaxagoras*, *Democritus*, nec non subtilissimus *Socrates* et *Plato* erant: qui omnium rerum existentiam bonam vel malam, a totidem bonis aut malis Principiis repetebant: prout *Mythologia* seu complexus minorum Numinum peregrinorum, aut patriorum exhibet. Generatim apud Graecos viguit Idololatria. Deorum Dearumque fuit infinitus numerus. Unde *S. Augustinus* de Civitate Dei L. III. *Varonis* sententiam affirmans dicit: simul tam apud Romanos, quam Graecos exstitisse 3000. Deorum, quorum 300. Joves erant. Unicuique suus Lar, suum Numen Domesticum. Unicuique affectui, commodo, periculo, suus tutelaris Deus. Unicuique Deo suae Ceremoniae, suae preces, sui sacerdotes, sua sacrificia et libationes. His superstitionibus contaminati Graeci, tamen summum hujus universi providentissimum Rectorem, fato licet subjectum esse crediderunt; prout et animae immortalitatem, item meritorum post mortem praemium, ac demeritorum poenam. Ut autem Deorum voluntatem, ex cupiditate futura resciendi, certo modo co-

gno-

gnoscerent, *Oraculis* summam fidem detulerunt: cujusmodi Oracula praecipua erant: in Lybia *Jovis Ammonis*; in Epiro *Dodonaeum*; in Aegypto *Apidis*: ac in Phocide celeberrimum *Delphicum*; item in Boeotia *Antrum Throphonii.* In quibus Oraculis vanas superstitiones et Sacrificulorum imposturas viguisse, tardius sana Philosophia, imprimis Christiana palam docuit. Praeter alias victimas placabantur Dii etiam humano sangvine, *a*) cujus rei complura exempla *Pausanias* et alii referunt.

§. 3. *Status Politicus et forma regiminis antiquae Graeciae.* Graecos universim considerare debemus I. ut *Veteres* sive *Jonios* in Asia minore. II. Ut Graecos *Indigenas* ipsius Graeciae uti: Peloponnesi, Helladis, Thessaliae, Macedoniae, Epiri, et Insularum. III. Ut magnam Graeciam, seu *Neapoleos* et *Siciliae.* IV. Ut *Colonias* in tribus orbis partibus olim disjectas. Itaque Graecia ex variis plerumque minoribus non magni momenti civitatibus democraticis aggregata multitudo fuit; inter quas initio nulla communitas nisi lingvae et gentilis ferociae locum habebat. Singulae civitates independentes Reges habebant, aut sui juris erant: prout nempe vel sub populari, vel sub optimatum regimine vivebant. Verum licet pleraeque Graeciae Urbes sub propriis legibus vixerint, certo tamen vin-

culo

---

a) Sophocl. in Electr. Pausanias. in Achaicis c. 18. et 20. 21. Item in Corinthicis. c. 24.

culo sensim communis instar Reipublicae continebantur. Duo enim media utilissima, Graecis prudentissime excogitata erant, ad nexum et vinculum inter tot, tamque minutos populos Graeciae procurandum: per quae media, unus in omnibus Graecis formabatur nationalis Character; bella intestina impediebantur, vires contra hostes colligebantur; verbo notitia omnium inter civitates et doctas nationes augebatur. Hujusmodi media erant: *Judicium* seu *Concilium Amphictyonum*, *Ludi Sacri*, item tardius *consensio* in systema *Italiotarum*, et post *Alexandrum* foedus *Achaicum*, et *Aetolicum*. — *Amphictyonum Concilium* celebrabatur a Graeciae populo ad Thermopylas, vel ad Delphum prope templum *Apollinis*, quo legati civitatum quovis anno bis convenire solebant, qui ibidem causas totam nationem concernentes decidebant; publicas civitatum cortroversias dijudicabant; sicque bella intestina sopiendo, optatam omnibus civitatibus quietem procurabant; cujus concilii decreta cunctae civitates observare et exequi debebant adeo: ut in Graecia jam tunc temporis esset systema civitatum foederatarum; quale hodie est, inter potentissimos Europae Monarchas; uti inter *Franciscum* I. Austriae Imperatorem, et *Alexandrum* I. Russiae Imperatorem, nec non *Wilhelmum Fridericum* Borussiae Regem ac alios Principes. Item inter Helvetios et Provincias Belgii Foederati. — Concilium hoc sine dubio utilissimum et prudentissimum antiquitatis institu-

tutum fuisset jam apud Graecos, si pro infelicitate mortalium, jura humanitatis, cupiditatibus Principum cedere non debuissent. — *Ludi sacri* autem communes erant quadrupplices, uti: *Olympici*, *Isthmici*, *Nemaei*, et *Pythiei*, ex quibus celeberrimi erant *Olympici*, ab *Iphito* Elidensium Rege instaurati; qui deinceps omni quarto anno celebrabantur in Elide prope Olympi templum; hoc quatuor annorum temporis spatium, *una Olympias* appellabatur; unde Graeci dein suos annos numerare consveverunt: non tamen ab institutione Ludorum; *a*) verum ab illis Ludis, in quibus *Coroebus* vicit, cujus victoriae annus incidit ad annum ante Ch. 776. Certabatur autem in his ludis, cursu pedestri, luctatione, cursu equorum, curruum etc. ad quod certamen nemo, nisi de cujus vita inculpabili constitisset, et natione Graecus fuisset, admittebatur. Similiter et feminis *b*) Ludos Olympicos spectare nefas erat. Finis certaminum fuit exercitium corporis et animi, ut ita militiae et laboribus mature juventus adsvefieret; scriptores vero praeclara

---

a) Hercules Idaeus. Olympicos ludos fertur instituisse. Diodor. L. 5. c. 64. Pausanias. L. 5. c. 7. Eusebius. in Chron. n. 696. ad annum Deborae quartum. Quos ludos a Pelope etiam celebratos fuisse, Pausanias. L. 5. c. 8. sic refert: *Pelops aetate una Endymione nata minor, omnium qui ante se fuissent, maxime memorabiles Olympio Jovi, Ludos fecit.* Ab Idaeo Hercule prius institutos. *b*) Pausan. L. 5. c. 6.

clara sua opera palam perlegentes, pro honore Oleastri donarentur Corona. *a*) — Verum sicut omnes res humanae, ita et Ludus hic celeberrimus degeneravit: res enim quae milites formare debuisset, eo paulopost abivit: ut professio fieret; nam Cives initio ideo convenientes, ut sua praesentia et applausu juvenes ad similes exercitationes incitarent, in delicias effusi, suis affectibus magis serviebant; unde spretis Juvenum exercitiis factum est: ut remotis juvenum stimulis, ad palestram deinceps nullus Athletarum prodiret. — Victoriae praemium in ludis Isthmicis erat corona ex abiete; in Pithiis, duo poma ex arbore Apollini consecrata. Ceterum his mediis successive Heraclidarum irruptionem impedire non potuerunt; qui totam Graeciam perturbantes, novis Rebuspublicis condendis, variisque coloniis deducendis occasionem fecerunt; inter quos Athenienses et Spartani celeberrimi evadentes, contrariis licet juris principiis regna condiderunt. Athenienses enim quoties civitatem sibi aliquam obnoxiam reddiderunt, mox rejectis Nobilibus, Reipublicae administrationem toti populo detulerunt. Spartani e contra reductis Nobilibus, populare regimen abrogarunt. De quorum constitutionibus, plura specifice inferius videbimus.

§. 4. *Status, Belli et Memoria Principum Virorum.* Barbaries hominum, et injuria tempo-

---

a) idem. ibid. c. 7. ex Eleorum traditione refert.

porum, de Javanicis Graecis, praeter coloniarum diversorumque stemmatum congeriem, nihil nisi conturbatam memoriam nobis reliquerunt, quoniam Graecorum origines solum Poetarum fabulis complectantur; in quibus Graecorum nomen et genus, ab *Hellene Deucalionis* filio propagatum, in tria genera dividitur: *Aeolicum*, *Doricum*, et *Jonicum*. Totius itaque gentis auctor *Deucalion* erat, qui eo fere tempore, quo *Cecrops* a Caucaso in Graeciam veniens: fugatis inde Pelasgis, *a*) primam sedem in Thessalia posuit; unde cum sociis in Atticam veniens, celeberrimi *diluvii Deucalionis* famam ad omnem posteritatem transmisit: quod diluvium annis 337. ante primam Olympiadem evenisse dicitur; seu ante Ch. 1513. Ab hoc igitur *Deucalione*, ejusque posteris, *) licet multae Graecorum gentes originem trahant, tamen *Strabone b*) teste: quoad linguarum differentiam, quatuor praecipuae dialectus viguerunt, uti: *Aeolica*, *Dorica*, *Jonica*, et *Attica*. Lacedaemonii Aeolensium, Athenienses vero Doriensium dialacto utebantur.

*) *Deucalionis* filii erant duo: *Hellen* et *Amphictyon*. Ab *Hellene* qui in Phocide regnabat, Graeci *Hellenes* sunt dicti. *Amphictyon* autem victo et pulso *Cranao*, Athenis coepit regnare. *Hellen* tres habuit filios: uti *Aeolum*, *Dorum*, et *Xuthum*: natu maximus patri succedens obtinuit Thessaliam, Locros, et Boetiam. *Dorus* regionem ad Parnassum. *Xuthus* autem hereditatis dilapidator, a fratribus pulsus in Atticam

a) Dionys. Halicar. L. 1. p. 14: *b*) L. 8. p. 333.

cam fugit, et ibi *Erecthei* filiam *Creusam* uxorem duxit. *a*) — *Aeolus* ex *Protogenia* uxore suscepit filium *Aethlium*, *b*) a quo Poeones, Elei, et Aetoli sunt orti. Alterum filium habuit *Critheum*, cui complures erant filii *c*) et nepotes. Praeter hos, *Diodorus Siculus d*) *Aeolo* etiam *Minantem* filium tribuit, qui in Aeolide regnabat: cujus posteri Boeotiis nomen dederunt. *Dorus Hellenis* filius Doridem fundavit. *e*) *Xuthus* vero minimus *Hellenis* filius, *Achaeum* et *Jonem* filios suscepit; *Áchaeus* commisso parricidio *f*) in Peloponnesum fugiens, ibidem Tetrapolim condidit: unde auxilio Atheniensium in Thessaliam irruens, tandem paternas possessiones recepit.

Regnum Argivorum Inachus fundavit, unde ejus successores *Inachidae* dicti. Hic, postquam 50. annis regno praefuisset, optimum successorem reliquit filium *Phoronaeum* celeberrimum Legislatorem; post quem longa serie reges successerunt, quorum ultimus erat *Acrisius g*) a *Perseo* nepote occisus regnum finivit; in cujus locum *Perseus* anno ante Ch. 1515. apud Mycenas regnum *Mycenarum* inchoavit: ac ejus posteritate in *Euristheo* deficiente, Mycenis regnarunt *Pelopidae*, *h*) a *Pelope* filio *Tantali*, a quo Peloponnesus nomen obtinuit. *Pelopis* suc-

ces-

---

a) Pausan. L. 7. c. 1. Canon. ap. Photium. c. 27. *b*) Pausan. L. 5. c. 1. seqq. Strabo. L. 13. *c*) Diodor. Sicul. L. 4. p. 184. seqq. Apollodor. L. 1. p. 30. seqq. Diodor. Sic. L. 4. p. 186. seqq. *d*) L. 4. p. 188. *e*) Herodot. L. 1. c. 56. Diodor. Sic. L. 4. p. 183. *g*) Pausan. L. 7. c. 1. Photius. Narrat. 27. p. 437. *g*) Apollodor in Biblioth. de de Diis. L. 2. p. 77. seqq. Horat. L. 3. ode 16. *h*) Pausan. L. 2. c. 22.

cessores, parricidalibus odiis, variisque sceleribus celebre nomen apud posteros fecerunt. De regno Attico seu Atheniensi, Spartano, item et Thebano plura specifice disseremus. Ceterum Graecia uti Imperio, ita et bellica laude diu floruit; sed postquam ex arrogantia, quaedam civitates de primatu inter se decertare coepissent; mox vicinarum nationum bellis fatigati, sensim vires et splendorem amiserunt. Ita Graeciam primum *Cyrus*, postea *Xerxes*, aliique Persarum Reges vexaverunt. Dein eam sibi subjecerunt Macedones; tum *Perseo* devicto Romani: quorum Imperio diviso, tota Constantinopolitanis cessit; donec *Gothi*, *Bulgari*, et *Saraceni* eam penitus depredati sunt. Postremum *Turca* in miseram servitutem omnem redegit, exceptis iis insulis, quae olim Venetis parebant; uti: Corcyra, Cephalonia, Zacyntho, Creta, cum aliis minoribus. Hodie Graecarum insularum accolae, diram Turcarum servitutem pertaesi, veterum Graecorum virtutes et animos resumentes, jugum excussuri, armis, cruentissimisque caedibus jam in quartum annum magna suorum, sed et Turcorum jactura, admirabili tamen constantia, se in veterem libertatem asserere non abs fundamento nituntur.

§. 5. *Status Literarum et Artium, in Graecia adhuc libera.* Graeci orbis antiqui erant absque controversia *Gens elegantissima*, discipuli Aegyptiorum, Phoenicum, et minoris Asiae indigenarum, Romanorum Magistri, et

per

per hos nostri quoque. Hic enim celeberrimis coloniis, expugnationibus, itineribus partim commercando, partim stipendia merendo, item linquam procudendo, et heroica affectando, sensim sermones, mores, scientias et artes ad Euphratem, Indum, Boristhenem, Tanaim, Tiberim, Rhodanum et Iberum latissime optimo Gentium emolumento circumtulerunt. Omne enim propemodum, quod ars fingere aut ingenium humanum comminisci potest, hac aetate protulit Graecia. Unde etiam *Cicero a*) haud immerito Graecis attribuit: multarum artium disciplinam, sermonis leporem, ingeniorum acumen; et ubertatem dicendi, a quibus Philosophiam, reliquas item artes et scientias Romani hauserunt. Ad quod apposite *Flaccus* canit: *Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqui.* Hi enim annalibus mandabant hominum acta, et pulchritudines; venustatumque constituerunt certamina; in quibus eruditissimis Athletis, amplissima praemia, et robustissimas decreverunt statuas. Tantae eruditionis altiorem originem sub *Cyri* aevum, ad *Thaletem*, *Pisistratidas*, *et Pithagoram* referimus. Exstiteruntque hic Viri Literis et Doctrina Clarissimi, uti: *Musaeus* Poeta. *Solon*, *Socrates* Philosophorum omnium Praeceptor. *Xenophon*, *Plato*, *Anaxagoras*, *Thucidides*, *Isocrates*, *Demosthenes*, *Lysias*, et alii permulti, praeter celeberrimos Artifices, Pictores

---

a) Cicero L. 4. Epistolarum ad familiates.

res, Sculptores, quorum inimitabilia opera posteritas adhuc admiratur.

Caput XVII.

HISTORIA ATHENIENSIUM.

§. 1. *Statistico Geographica notio.* Regnum *Atheniense*, initio *Atticum* vel *Hellen* dictum, tardius *Achaja* vocabatur. Regnum hoc ab Oriente mare Aegeum; ad meridiem Peloponnesum habet. Olim regiones sinu suo complectebatur, a civitatibus potissimum nominatas celeberrimas, uti: *Atticam*, *Boeotiam*, *Phocidem*, *Locrensem*, *Doridem*, *Aetoliam*. I. In *Attica* sterili et silvosa regione urbs primaria fuit *Athene* seu compendium Graeciae. *a*) Item *Marathon* a *Miltiadis* victoria celebris. Nec non *Eleusis*, a misteriis Eleusinis clara. II. *Boeotia* inter montes sita, frugibus tamen foecunda, in qua Urbes sunt: *Ascra* ad Heliconis radices, *Hesiodi* patria. *Thebae* multorum illustrium virorum patria, nunc dirutae jacent. *Chaeronea* Plutarchi patria. *Plataeae* a celebri Graecorum victoria duce *Pausania* contra *Mardonium* nobilis. Item *Aulis*, ubi Graeci ad Trojam profecturi congregati erant. III. *Phocis* ad Parnassum montem, cujus prima urbs *Delphis*, a sumtuosissimo Apollinis oraculo

a) Cicero. Orat. pro L. Flaco. L. II. de Legibus. et in Dialogo de partitione.

culo clara. IV. *Locrorum seu Opuntiorum* aspera regio, urbem nobilissimam habuit *Amphissam.* V. *Doris* regio juxta Parnassum sita. VI. *Aetolia* ad Evenum fertilis, vetustissimas habuit urbes, inter quas notissima *Calydon.* VII. *Megaris*, cujus urbs *Megara* ad Isthmum sita, regioni nomen dedit. *Fluvios* praecipuos habet: *Ismenum*, *Cnopum* et *Evenum. Montes* famosissimi sunt: *Parnassus*, item *Mons Phoebo Bromioquosacer* in totius orbis medio situs. *Helicon* Musis natale solum, *Himmetus* a medicamentis radicibus clarus. Athenienses olim gloriabantur *a*) quod sint antiquissimae originis; et quod soli Graecorum terram nunquam deseruerint, quare etiam se *terrae filios* dictitabant. Ab aliis autem gentibus teste *Herodoto b*) variis nominibus vocabantur: uti *sub Pelasgis Graeciam hodie tenentibus erant Pelasgi, Cranai nominati. Sub Rege Cecrope, Cecropidae cognominati. Erectheo autem imperium adepto, nomine immutato Athenienses vocati. Dein Jones ab Jone Xuthi filio Atheniensium copiarum duce.* Interim Athenienses, Saitarum ex Aegypto coloniam esse, *Diodorus Siculus c*) tribus his rationibus contendit: I. quod Urbem suam nomine Aegyptio vocarunt *Astu.* II. Atheniensium respublica initio sicut Aegyptiorum, in tres ordines erat distri-

---

a) Herodot. L. 7. c. 161. Pausan. in Messen. c. 1. *b*) L. 7. c. 44. Ovidius. Metam. L. 2. v. 836. L. 6. v. 70. Lucan. L. 2. v. 611. *c*) L. 1. c. 28.

stributa, nempe: Patriciorum, Rusticorum, et Opificum manuarias artes tractantium. III. Quia Aegyptiorum Numina adoptantes coluerunt. Athenienses primi olivam et ficum invenerunt; primi rationem juris administrandi constituerunt; certamenque corporum invenientes, primi feritatem deposuerunt, *a*) ac victu remissiore ad delicatius vitae genus transiverunt.

§. 2. *Status Religionis et consvetudinis.* Athenienses studio religionis omnes Graecas nationes antecesserunt, *b*) primi enim cognominarunt Minervam *Erganen*, cui etiam tota Attica erat sacra; et licet familiae suos Deos privatim colerent; *Minervam* tamen communiter omnes venerabantur. *c*) Praeterea colebatur sacrificiis specialibus *Apollo*, *Jupiter*, *Aesculapius*, *Ceres*, *Pan*, *Diana*, *Bacchus* etc. Imo et Ignota Numina venerabantur, in templis enim saepe inveniebantur arae, quibus erat inscriptum *d*) *Ignoto Deo.* Quod autem humanas victimas, nempe: annue septem Atticos pueros, et totidem puellas, *e*) mittere consveverint, fabulis accensemus. Ceterum Athenienses a rebus sacris nimium abstinuerunt, quoniam cuncti in studium religionis incubuissent: quod manifeste in hostili Syracusanorum terra demonstrarunt; ubi capto Jovis Olympii templo, nihil quidquam ex omnibus dona-

na-

a) Thucyd. L. 1. p. 5. Aelian. Hist. var. L. 3. c. 28. *b*) Pausan. L. 1. c. 14. *c*) idem. ibid. c. 26. *d*) Pausan. L. 1. c. 1. Diodor. Sicul. L. 4. c. 62. seq.

nariis amoverunt; imo Syracusanorum Sacerdotem ea custodientem liberum reliquerunt. Ob quod religionis Studium, tum a divinis, tum ab humanis Scriptoribus testimonium acceperunt; nam Doctor Gentium Sanctus *Paulus* medio in Areopago, sic est eos allocutus: *a*) *Viri Attici, omnino vos ceu religiosiores conspicio.* Et revera Graeci promtissimos se exhibuerunt ad suscipiendam religionem. Sed Graeci Christiani; hodie dissident a Romanis; gaudentque titulo Ecclesiarum orientalium. Patriarchas quatuor habent, uti: Constantinopolitanum, Alexandrinum, Hierosolymitanum, et Antiochenum, qui a Metropolitanis creantur, ut a Cardinalibus *Papae.* Sed hi modestia et perpetua vitae sanctimonia celeberrimi erant; habent complures Metropolitas, et Episcopos. Sacerdotes uxorem sed unam ducunt; Sacramenta administrant; sub utraque specie, pane et vino communicant; purgatorum ignem execrantur; rasuram verticis non admittunt. Sepulturae curam diligentem semper habebant, et inde a *Cecrope* permamansit jus terra humandi: post funera, epulas coronati inibant; postquam autem sumtuosa et lamentabilia funera fieri coepissent, lege *Solonis* sublata sunt. *b*) Ungventorum mire erant studiosi; mos enim

a) Actorum. c. 17. v. 22. Item ap. Pausan. L. 1. c. 14. *b*) Cicero. L. 2. de Leg. Marsham. p. 111. Aelian. Hist. var. L. 5. c. 11.

enim Athenis erat, luxuriosorum pedes ungventis illinere. *a*)

§. 3. *Status Politicus*, *et Forma regiminis* Graecia initio in plures parvas Respublicas fuit distincta, inter quas successu temporis Athenarum respublica eminuit, cujus urbis incolae eloquentia, artium diversarum cognitione, ac morum venustate cunctos alios antecedebant. Hic primus rex erat *Cecrops b*) ex Aegypto oriundus, qui Cecropiam arcem aedificavit, ubi tardius Athenae positae sunt: ad an. M. 2394. cujus regni Historiae centum post *Mosen* annis fiunt memorabiles; ac totidem fere annis ante Christum natum, ex eadem Historia se recipiunt, ut Romanis obnoxiae. Hujus elegantissimi regni Historia, optime in tres periodos dividitur, nempe. I. *Veterem*, a primo conditore *Cecrope*, ad ultimum Regem *Codrum*, *Saulis* aequalem, quingentis annis. II. *Intermediam*, sub XIII. Archontibus perpetuis, et septem decennalibus Archontibus; quae duravit 370. annis ubi sub primo decennali Archonte, Roma fuit condita. III. *Recentiorem*, spatio 600. annorum, usque ad pugnam Marathonicam ac Chaeronaeam. Nam inde ab Archontibus annuis I. *Plebeja potestas* dominabatur usque ad *Marathonicam* pugnam 200. annis. Item II. a Praelio *Marathonico* usque ad *Chaeronense*, 160. annis, continuos triumphos

T Athe-

a) Athen. L. 15. p. 515. et 688. *b*) Strabo. L. 8. p. 383.

Athenae de Persis reportabant. Demum III. a pugna Chaeronensi, usque ad urbis per Romanos expugnationem, 200. annis; a qua pugna aegre per centum annos, etiam inito foedere Achaico, poterant se sustentare. Itaque in Prima Periodo, Forma Regiminis erat Regalis, a *Cecrope* instituta, quem alii XVII. Reges sunt secuti; *a*) quorum ultimus *Codrus* a. M. 2877. in bello, pro patria se devovit ex his motivis: *b*) Quod Dorienses, sive aemulatione, sive fame cogente; aut rectius quod quosdam a se pulsos, libenter Athenienses recepissent; bellum formidabile iis intulerint. *Codrus* ex oraculo *Pythiae* certior factus, eam partem superiorem fore, cujus Rex in acie occumberet: in hunc finem pro salute patriae, primo statim hostium castra ingressus, ultro se occidendum statuit; ubi mox a milite, quem de industria eo disposuerat interfectus est: cujus corpore viso, Dorienses sive Heraclidae mox ex acie, Deorum quasi voluntate admoniti discesserunt. *c*) Immolatio hujus Viri, occasionem dedit abrogandae Regiae dignitatis; nam Athenienses palam dicebant: ad eam divinitatis apicem Regium thronum esse evectum, ut quem semel sangvis Regius rigaverat, nemo amplius mortalium conscen-

---

a) omnium nomina vide ap. Pausaniam in Atticis. L. 1. *b*) Strabo. L. 1. p. 193. *c*) Vellej. L. 1. c. 2. Pausan. L. 7. c. 25. Meursius. de Atticis L. 3. c. 11. Justin. L. 2. c. 6. Valer. Max. L. 5. c. 6. num. 1.

scendere possit: qui speciosus praetextus, ad augendam optimi Viri gloriam excogitatus erat; vera autem causa fuit, quod Athenienses penes omnem etiam gratitudinem, nec libertatis propriae erant obliti; seu non solum id senserunt quod amiserunt; verum et id quod metuendum esset, considerabant. Abrogata itaque regia dignitate, *Archontes* sunt constituti; *a*) qui minorem Regia dignitate a populo acceperunt potestatem; quales initio erant *Perpetui*, dein *Decennales*, quibus demum *Annui* successerunt et quidem novem; a quorum nomine etiam annum suum nominare consveverunt. Verum procedente tempore haec quoque Archontum dignitas vilescere coepit adeo: ut ad tranquillitatem civitatis procurandam haud sufficere videretur; quapropter ad revehendam civium felicitatem, anno ante Chr. 624. communi voto *Draconi* Archonti potentia leges scribendi delata est, *b*) qui non populi genium, sed suam tristem et asperam naturam secutus, severas tulit leges sola poenarum acerbitate memorabiles; qui minima aeque ac maxima delicta morte punivit; pro illis nullam mitiorem, pro his nullam severiorem poenam se scire dicebat: quod crudele principium etiam Reipublicae erat perniciosum. unde *Demades* sangvine humano potius quam atramento ejus leges scriptas asseruit; imo ad horrorem

a) Pausan. L. 7. c. 2. Justin. L. 2. c. 6. seqq. *b*) Suidas. de Dracone. Clem. Alex. L. 1. Strom

homicidii incutiendum statuit: ut et ipse statuae, quae ruina sua casu hominem occidissent, per processum convincantur, et e Civitate inter execrationes eliminentur. Ceterum leges hae, frequente dispensatione, tacitoque consensu extra usum venerunt. Quo turbido tempore, temeritate et audacia *Cylonis* Atheniensis, omnis civium tranquillitas concuti coepit. *a*) *Cylon* enim tyrannidem arripere volens, arcem Atheniensem invasit, sed a Civibus mox oppressus profugit; socii autem ejus in Minervae templo *Asylum* quaesiverunt; quos tamen brevi *Megacles* Archon promissa illis venia permovit, ut ex templo excederent; verum mox eos contra datam fidem in potestatem redigendo, cunctos mortis supplicio affici jussit. Quae perfidia, tam atrox delictum in oculis civium videbatur, ut tota *Megaclis* familia maledicta infamia notaretur. Quae vox populi! veri justique sensum habentis, docet: Juramentum ipsi hosti datum, Sacrum esse oportere. Interim summa haec *Cylonis* audacia, licet Athenis suppressa fuerit; complures tamen Viri, varias Graeciae Civitates pari scelere, majore tamen fortuna interturbare coeperunt, sic *Cypselus* *b*) *Corinthi* anno ante Ch. 659. tyrannidem occupans, post 30. annos summum dominatum in filium *Periandrum* transtulit; isque

---

a) Plutarch. Solon p. 84. *b*) Herodot. L. 5. c. 92. Aelian. Hist. Var. L. 1. c. 19. Polyaen. L. 5. c. 31.

que 44. annis tyrannidem exercuit. Similis *Mileti* tirannus erat *Thrasybulus*, amicus *Periandri*, *a*) qui cum Sardiensium rege *Alyatte* plane bellum gessit. Eodem modo in Sicilia Agrigenti *Phalaris* tyrannidem fraudulenter arripiens, eandem cum crudelitate *b*) sedecim annis exercuit: ut et *Pisistratus* apud Athenienses semel ac iterum c) attentare ausus est: prout *Polycrates* in insula *Samo.* Ceterum *Cylonis*, ut vidimus audacia; oculos Atheniensium adeo aperuit ut de nova Reipublicae Forma constituenda agere necessum putarent; verum diversae civium classes inter se convenire non poterant, prout fieri solet! dum eos interessentia in diversas abstrahit partes. Quibus calamitatibus agitati Athenienses, tandem communi voto *Solonem* Archontem crearunt, eique leges condendi potentiam detulerunt. Vir hic inter semptem graeciae sapientes locum tenens, justitia et sapientia jam dudum conspicuus; sequente occasione inclaruit nempe turbidis jam prioribus annis Megarenses, Salaminem Atheniensium insulam magno labore occupatam, licet Athenienses saepius industriose recuperare conarentur, semper tamen magna suorum jactura rejecti erant. Infelices hi successus eos permoverunt ad eam legem ferendam; ut siquis deinceps Salaminis insulae receptio-

---

a) Herodot. L. 1. c. 18. seqq. *b*) Euseb. de Phalaride sect. 14. seqq. Polyaen L. 5. c. 1. *c*) Herodot. L. 1. c. 60. seqq. Polyaen. L. 5. c. 1.

ptionem svaderet, is morte puniretur. Interim *Solon* optimam recuperandae insulae occasionem cernens: ut se legi subduceret, sponte se stultum esse finxit, discurrendoque per urbem continuo carmina cecinit, quibus tandem civium animos ad eam insulam capiendam adeo inflammabat: ut ejusdem oppugnationem denuo decernerent. Ob quod factum felici eventu comprobatum, mox Legislator ad salvandam quoque patriam renunciatus est. Qui etiam circa annum ante Ch. 594. civitati novam dedit organisationem, Atheniensium genio magis accomodatam; *a*) nempe: omnes *Draconis* leges; praeter homicidii legem abrogavit; quare a Romanis etiam nonnullae adoptatae; imo et apud nos hodiedum in jure civili supersunt.

Solon in legislatione ante omnia I. civium inferiorum rationem habuit; quum enim misera plebs adeo debitis obruta esset, ut plerique a creditoribus in servitutem raperentur; iis subvenire voluit monetae valorem augendo: quo fiebat, ut paucis numis, magnas etiam summas antea contractas exsolvere potuerint. Alii dicunt: eum simpliciter debita abolevisse; vetabatque severe dehinc, civem debitorum caussa a creditoribus in vincula abripi. Quo in casu interventi abusus, non *Soloni*, sed ejus administris tribui de-

---

a) Plutarch. Solon. p. 88. Pausan. L. 5. c. 11. Diog. Laeret. L. 1. c. 62. Clem. Alex. L. 1. Strom. c. 14. Cyrill. contra Julian L. 1. p. 12.

debent. Lege hac, frequentissimae classis favorem lucratus est. II. Archontes in sua dignitate permisit, quibus tamen ad rempublicam gubernandam 400. Senatores adjunxit: qui singulis annis populi electione mutabantur; et quidquid in comitiis populo proponendum erat, id prius Senatui deferri jussit. III. Populum totum in quatuor Classes ratione facultatum divisit. Tres priores, ad magistratus et officia publica admisit, ultimam ut pauperrimam ab his penitus excludendo: cui tamen ceterarum modo in comitia veniendi, ibique jus concludendi concessit. Unde patet: hanc classem ut pauperrimam, sed simul copiosissimam, maximum in definiendis publicis negotiis influxum habuisse. Quod advertens *Anacharsis*, *Solonem* monuisse fertur: Sapientibus duntaxat consultandi, fatuis vero decernendi jura ab eo esse relicta. Ob quam Scythae sententiam, Areopagi tribunali pristinam dignitatem restituit, eique curam gubernationis credidit. Verum quia per hanc constitutionem, populus supremam potestatem porro retineret; ideo *Anacharsis* leges Atheniensium, telae aranearum comparare non dubitavit, quae tantum muscas fascinaret, a vespis autem impune lacerarentur. Verum hae leges, etsi maximos in omni genere viros produxerint; tamen quum summam potestatem in manibus plebis relinquerent, brevi Rempublicam novis turbis involverunt. Quo tempore Cives successive de regiminis forma haud convenientes, legibusque *Solonis* mini-

ni-

nime conquiescentes, triplicem factionem subornarunt: unius *Megacles*, alterius *Lycurgus*, tertiae vero *Pisistratus* praefuit, qui accessione pauperum, ut libertatis vindex summam tyrannidem arripuit; *a*) qui mox inflicto sibi sponte vulnere, inimicos vitae suae insidiari specioso titulo plebi persvasit: quare 50. Corporis sui custodes ei sunt assignati; quibus, et aliis his accedentibus, mox Cecropiam arcem occupans, dum brevi suprema potestate abuteretur, semel ac iterum urbe ejectus est. Sed quum *Megacli* promisisset se filiam ejus ducturum, *b*) demum maxima pompa reductus est: qui postmodum leni sua gubernatione adeo populi favorem promeruit, ut *Hippias* et *Hipparchus* ejus filii supremae potestatis heredes ab Atheniensibus agnoscerentur. Verum Principes hi, an simul, vel secus praefuerint? incertum est: ceterum etsi summo studio conarentur iugum Tyrannidis lenissimum efficere: prout ob haec summam apud eruditos laudem erant consecuti; *c*) tamen post 18. annos exorta seditione *Pisistratidas* urbe pellendos decreverunt; quorum locum *Clisthenes* simili arte obtinuit: qui tamen suo periculo brevi territus, missa tyrannidis arripiendae cogitatione, populum in-

---

a) Aelian. Hist. var. L. 3. c. 21. Herodot. L. 1. c. 59. Polyaen. L. 1. c. 21. *b*) Herodot. L. 1. c. 60. Meurs. Pisistrat. c. 4. *c*) Aelian. Hist. var. L. 8. c. 2. Aristot. Polit. L. 5. c. 12.

in X. tribus dividens, Democraticam regiminis formam restituit. Postmodum Respublica Atheniensis prospero nimis rerum successu turgida, quum subditos, suosque socios durius tractare coepisset, totius fere Graeciae odium et invidiam in se conflabat; unde bellum Peloponnesiacum ortum, diu a equo marte gerebatur: donec Athenienses ingenti ad *Aegeos* fluvium clade fracti, Spartanorum jugo colla subdere cogebantur. *a*) Ceterum sicut post *Solonis* instituta, donec illa viguerunt, Atheniensium respublica florentissima erat; ita jam ante illum, ad accuratam justitiae administrationem exercendam, varia tribunalia in usu fuerunt, sic: *Areopagum* tribunal vetustissimum apud Athenienses jam sub *Cecrope* *b*) fuit institutum. Praeterea Athenis nobile fuit tribunal *Palladium*, in quo caedis causae agitari solebant. *c*) Item tribunal *Delphinum*, in quo caedem jure commissam agnoscere solebant. Nec non *Prytaneum* quod jus dicebat de ignotis, aut fuga elapsis homicidii reis; et de rebus inanimatis, quae illabentes caedem patrarunt. *d*) Inter Archontes etiam varia erant officicia: summus Archon erat Praeses totius Senatus. Alter Archon *Basilevs* dictus, religionis curam habuit. Tertius *Polemarchos* vocatus, belli negotia tracta-

---

a) Xenophon. Hist. Graec. L. 2. p. 455. Diodor. Sicul. L. 13. 14. *b*) Apollodor. L. 3. Joan. Meursius. in Areopago. *c*) Pausan. L. 1. c. 28. et Pollux. L. 8. c. 10. §. 118. *d*) idem. ibid. §. 120.

ctabat. Ceteri autem *Thesmothetae* appellati, Legum vindices exstiterunt.

§. 4. *Status Belli, et memoria Principum Virorum. Cecrops* Aegyptius in Atticam veniens, a suo nomine arcem, ibi exstructam *Cecropiam* appellavit anno ante Ch. 1558. quae arx tardius amplificata Athenarum nomen obtinuit; ubi ipse *Cecrops*, regiam dignitatem consecutus, eandem in suos successores transmisit, quales XVII. recensentur, *a*) quorum ultimus fuit *Codrus*, *Melanthi* filius, qui paternam virtutem aemulatus, ut regnum a Majoribus quaesitum contra Doriensium molitiones conservaret, pro salute patriae ex oraculi Pythiae responso sponte se occidendum objecit; *b*) post cujus mortem, exorta inter ejus filios *Medontem* et *Neleum* contentione, tandem communi civium voto Regia dignitas est abrogata, et reipublicae administratio Magistratibus; seu Archontibus est permissa; quales initio *Perpetui*, dein *Decennales*, demum *Annui* sunt electi, dignitate regia inferiores. Primus Archon perpetuus *c*) electus est *Medontes*, alii autem duo *Codri* filii *Neleus* et *Androchus*, cum Joniis, aliisque Graecis in Asiam transeuntes, ibi terram, quam *Joniam* dixerunt occuparunt, variisque opidis frequentarunt. Tandem Archontibus *perpetuis* successerunt *Decennales*, quorum primus *Cherops* constitutus est; sub quo inci-

---

a) Pausan. in Atticis. L. 1. Euseb. in Chron. p. 14. seqq. *b*) Justin. L. 2. c. 6. Pausan. L. 7. c. 25. *c*) Pausan. L. 1. Justin. L. 2. c. 6. 7.

cidit Olympiadum ludorum initium, *a*) dum *Iphitus Praxonidis* filius Elidensium rex ludos diu intermissos, inter *Olympiam* et *Pisam*, singulis quatuor annis exactis celebrandos instauraret ad annum ante Christum 776. secundum quos Graeci annos suos deinceps numerarunt. Ex Archontibus memorabilis fuit *Draco*, a legibus severissimis celebris. Item *Solon* qui abrogatis *Draconis* legibus, novas ligneis tabulis scripsit. Cujus tamen legibus optime constitutam rempublicam, brevi perturbavit ambitiosus homo *Pisistratus*; qui ob nimiam crudelitatem ex urbe bis ejectus, postquam tamen *Megacli* promississet se filiam ejus ducturum, denuo maxima pompa reductus, iterum tyrannidem subtili calliditate obtinuit; civiumque ferociam deinceps tantisper mitigavit. Sub quo Megarenses, Atheniensibus festum diem celebrantibus, fraudulenter bellum indixerunt: qua occasione *Pisistratus* festum longe majore solemnitate celebrari praecepit: Juvenes nempe Atheniensium induit vestibus puellarum, in quarum vestitum arma simul abscondere jussit. Hoc jucundissimo spectaculo Megarenses gavisi, ipsa festivitate in forum Atheniensium irruerunt, et putatitias has puellas secum in naves rapuerunt: ubi mox Athenienses juvenes muliebrem vestitum deponentes, cunctos Megarenses internecina cae-

a) Pausan. L. 1. de Atticis. et L. 5. Jonn. Philip. Pheifferus. Antiq. Graecar. L. 1. c. 49. Strauchius. Breviar. Chron. L. 4. c. 16. Strabo. L. 8. p. 353. seqq.

caede in navi occiderunt; depositisque puellarum vestimentis, Megarensium occisorum militum assumserunt: quos dein *Pisistratus* contra Megarenses ire iussit. Megarenses nihil fraudis subesse rati, suos redire feliciter existimantes, obviam eis laeti et inermes processerunt: quos dum Athenienses omnes trucidassent, celebrem victoriam de iis reportarunt. Ob quae, et leni sua gubernatione, adeo populi amorem emeruit ut ejus filios *Hippiam* et *Hipparchum* supremae dignitatis heredes grati agnoscerent. Interim tamen *Hipparchus* anno regiminis 14. per *Harmodium* et *Aristogitonem* concitata seditione interemtus est. *Hippias* vero in suspicionem et saevitiem delapsus, svasu oraculi Delphici, Lacedaemonii concitarunt Athenienses ad bellum familiae Pisistratis inferendum *a*) et ejiciendum; qua seditione *Hippias* Lampsacum fugatus est, a. ante Ch. 510. Siccariis autem *Hipparchi*, nempe *Harmodio* et *Aristogitoni* statuam erexerunt; quo honore antea nemini tributo, summum in tyrannos odium conceperunt. Verum Athenienses nec hoc quidem pacto quieti manserunt; nam brevi *Clisthenes* favore populi ad tyrannidem promotus imperium moliebatur; quare mox ejus aemulus *Isagoras* aeque ambitiosus, Spartanorum regem *Cleomenem* auxilio evocavit, qui etiam dum in ejus gratiam Senatum Atheniensem

sem

---

a) Thucid. L. 6. c. 59. Herodot. L. 1. c. 61. seqq. Meursius in Pisistr. c. 4.

sem abrogare niteretur, dominatum fere obtinuisset: nisi commotus populus, profligatis Lacedaemoniis, *Clisthenem* revocasset; qui postea suo periculo doctus, missa tyrannidis cogitatione, Democraticam regiminis formam in gratiam populi restituit, *Ostracismumque* instituit. Quo pacto Spartani pudore confusi, quod vanis oraculi effatis impulsi, nuper Pisistratidas ejecissent: ideo *Hippiam* denuo reducere decreverunt: sed quia id suis viribus efficere non valerent, foederatis populis sua consilia manifestarunt; at ab his ut libertatis amantibus repulsam passi, maximum inde odium conceperunt; unde maxima inter Spartanos et Athenienses aemulatio orta est. Ita *Hippias* a Graecis desertus in Persidem secedens, *Artaphernis Darii* fratris auxilium imploravit. Quae res secuto bello Persico, ut sub *Dario Histaspe* exposuimus, occasionem dedit. *a*) ad annum ante Ch. 514. Quo in bello praecipuam gloriam in secundissimo praelio ad campum *Marathonem* commisso consecutus est *Miltiades*, cujus ductu ad reliquas etiam belli insulas persequendas Athenienses erant animati; sed ubi Is insulam *Parum* longa etiam obsidione sibi reluctantem capere non potuisset, indeque re infecta domum rediisset, iniquis Atheniensium suffragiis, grandi aere multatus est, cui solvendo dum impar es-

se-

---

a) Thucid. L. 6. c. 59.

set, in vinculis miserando vitam finivit. *a*) Post cujus caedem facile Graeci pervidere poterant, Persas cladem sibi illatam brevi vindicaturos;ideo Athenienses undique vires augere, defensionemque patriae ducibus *Themistocle et Aristide* procurare non intermiserunt;quo in conatu delecti duo Duces ex nimia aemulatione in mutuum odium delapsi sunt. *Themistocles* enim regni cupidus, acri suo ingenio conabatur plebis amorem sibi conciliare. *Aristides* e contra morum probitate et justitiae lande celebris nobilioribus adhaesit, quem *Themistocles* sibi resistentem, eo titulo quod esset nimis justus, ostracismo punivit; unde tamen brevi ad patriam defendendam revocatus est. Interim Athenienses duce *Themistocle b*) Urbem vacuam relinquentes, cum Persis primam pugnam ad *Artemisium* mari commiserunt. At *Xerxes* ex alia parte Athenas ingressus mox igne consumsit, *c*) unde sequebatur secunda pugna navalis ad *Salaminem* insulam; qua Persae victi, a. ante Ch. 480. ipse *Xerxes*, relicto in Graecia *Mardonio* cum 300. millibus peditum, ad Hellespontum se recepit. *Mardonius* autem anno sequente, a *Pausania* Spartano, et *Aristide* Atheniensi, commisso ad *Plataeas* praelio occisus est: *d*) imo hac ipsa die alium etiam Persarum exercitum ad *My-*

a) Cornel. Nepos. Miltiad. c. 7. Herodot. L. 6. c. 132. seqq. *b*) Corn. Nepos. Themist. c. 2. et 3. Herodot. L. 8. c. 50. seqq. *c*) Diodor. L. 11. p. 251. Herodot. L. 9. c. 58. seqq.

Mycalen Graeci superarunt; *a*) prout et Carthaginenses Persarum amici ad *Himeram* duce *Gelone* profligati sunt. *b*) Terminato ita feliciter bello Persico, Athenienses curas suas converterunt ad diruta urbis moenia restauranda; quorum tamen et Spartanorum, de principatu certantium tranquillitas, brevi bellis civilibus turbari coepit. Signanter.

Pausaniae poena, *et Cimonis virtus.* Post bellum Persicum Spartani, penes quos summum erat in omnes Graecos imperium, *Pausaniam* Ducem Spartanorum, cui subjectus erat *Aristides* dux Atheniensium, cum classe miserunt in Cyprum et Hellespontum, *c*) ut Cyprii urbes a jugo Persarum eriperent: qui etiam capto Byzantio, magnum Barbarorum numerum in captivitatem redegerunt; inter quos dum multi nobiliores Persae invenirentur, eos *Pausanias* clam dimisit: imo datis ad *Xerxem* literis, Graeciam a se proditum iri promisit; si *Xerxes* filiam suam ei nuptui cederet. Quibus petitis *Xerxes* etiam annuit: sed quum proditor ante tempus Persarum fastu incitatus, summos honores ambiret, Graecosque contemneret; mox Spartani Pausaniae imperium fastidientes, ultro Atheniensibus adhaeserunt. *d*) *Pausanias* vero ob suspe-

---

a) idem. ibid. c. 96. seqq. *b*) Justin. L. 4. Diod. Sicul. L. 11. p. 255. *c*) Thucid. L. 1. c. 94. Diodor. Sicul. L. 11. p. 264. Herodot. L. 8. c. 2. seqq. *d*) Diodor. Sicul. L. 11. p. 266. Thucid. L. 1. c. 130. seqq.

spectam agendi rationem domum revocatus, et capitis damnatus periit. *a*) Cui omnium confoederatorum votis summus Dux Graecorum successit *Cimon Miltiadis* filius, et *Aristidis* discipulus; qui post *Themistoclis* proditionis accusati ad Persas fugam; *b*) Persas e Cyri Urbibus et Asia minore ejecit; imo una die tam de classe prope *Eurymedontem* fluvium, *c*) quam de terrestribus copiis dupplici victoria potitus; mox 80. Phoenicum naves partim cepit, partim submersit: qua victoria *Cimon* cum Persis celebrem pacem Cimonniacam inivit, Persis ignominiosam, sed Graecis utilem, ut in Persicis vidimus. — Ast *Artaxerxes Longimanus*, ut victoriarum a *Cimone* relatarum cursum impediret, *Themistoclem* in aula sua magno honore habitum, *Cimoni* opponere cupiebat; sed hic, ut ingrati nominis maculam evitaret, potius veneno sufferri voluit. Cujus funestum interitum, longe funestior casus in Laconia excepit, ubi fere eo tempore 20,000. hominum terrae motu perierunt. Qua occasione usi Helotae; seditionem in severos suos dominos concitarunt, quos *Cimon* obtento a Rep. exercitus ducendi munere, composuit quidem, sed quum pars Helotarum denuo majoribus animis Lacedaemoniis hostiliter immineret, *Cimon* Spar-

---

a) idem. ibid. c. 129. seqq. Corn. Nepos. Pausan. c. 3. seqq, Diodor. Sicul. L. 11. p. 265. *b*) Cujus fugam Diodor. Sicul. L. 11. p. 269. ad annum secundum Olymp. 77. refert.

Spartam vocatus, ubi oborta suspicione de Atheniensium cum Helotis collusione, vario sub praetextu domum remissus est. Quibus in circumstantiis *Pericles* dominandi libidine abreptus, summa astutia populi favorem emereri desiderabat eo consilio: ut Judiciis, et Ludis omnes cives interesse possint; item ut subsidia necessaria de aerario publico largirentur; sicque spectaculis occupati populi favore fretus, primae dignitatis viros contemnere; imo tribunalium in rebus decernendis potestatem circumscribere aggressus est. Quibus ausibus dum *Cimon* totis viribus reluctaretur, *Periclis* opera, tamquam Spartanorum fautor ex urbe relegatus est, sed vix *Cimon* urbem deseruit, Athenienses Lacedaemoniis bellum denunciarunt; initoque cum Argivis et Thessalis eorum inimicis foedere, totam fere Graeciam mox in armis stare viderunt; qua occasione *Cimon* patriae salutis, suaeque innocentiae contestandae studio animatus, ex exilio ad exercitum advenit, unde tamen statim recedere compulsus est: quam repulsam centum ejus partium Cives aegre ferentes; novae seditioni occasionem dederunt. Quo tempore Athenienses, etiam *a*) Aegyptiis, per *Inarum* Lybiae regem ad defectionem solicitatis, classem suam penes Cyprum herentem auxilio miserunt; quum vero bellum hoc terra, mari-

U que

a) Herodot. L. 7. c. 7. Diodor. Sicul. L. 11. p. 278. — 282. Thucid. L. 1. c. 104.

que gereretur; imo a Persarum copiis et *Inarus* victus, et Athenienses non una clade afficerentur; praeterea etiam Spartanorum irruptio in Atticam timeretur; mox in urbe tanta confusio et trepidatio orta est: ut *Cimon* agente ipso *Pericle* revocari debuerit; qui ut reversus est, inducias unius Lustri cum Spartanis composuit. *a*) Quibus habitis mox cum 200. navibus, Persarum 300. navium classem aggressus, brevi centum captis, pluribus vero submersis, plenam de iis reportavit victoriam. Inde pari felicitate *Citium* obsidens, brevi demum Persas ad *Salaminem* maritimo et terrestri praelio profligavit, quod demum pax cum Persis renovata sequebatur: *b*)

Bella Civilia; hincque enatum bellum Peloponnesiacum. A pace Cimoniana, sicut omnes Italiae populi, ita etiam Graeci mutuis bellis in exitium urgebantur; nam Graecorum inter se recrudescentibus odiis repetitum est bellum, quod tricennalium induciarum pactione utcunque sepitum est anno 3. Olymp. 83. *c*) Sed sexto anno vix evoluto, Samii Milesios infestantes rebellionem concitarunt, qui licet brevi a *Pericle* perdomiti fuerunt; non multis tamen post annis, denuo Corinthii contra Corcyraeos, eorumque socios Athenienses bellum moverunt, ubi Corin-

---

a) Diodor. L. 11. p. 286. Thucid. L. 1. c. 112. *b*) Diodor. Sicul. L. 12. p. 293. *c*) Diodor. Sic. L. 12. p. 294. Thucid. L. 1. c. 115.

rinthii *a*) navali pugna profligati inducias conciliarunt; quas Lacedaemonii cum suis sociis, ab Atheniensibus violatas esse pronunciarunt. Quo facto bellum ex toto renovatum, longe atrocissimum evasit, quod *Peloponnesiacum* appellatur, a. Urbis. C. 323. seu anno primo, Olymp. 87. *Causa* belli fuit invalescens Atheniensium potentia, et Spartanorum aemulatio. Occasionem autem dedit *Pericles*, *b*) qui septem millibus talentum expensis, ne rationes reddere cogeretur, omnia in republica permiscere voluit. Hujus belli multiplex fortuna, et varietas rerum fuit; Lacedaemonii enim 60,000. exercitum licet in Atticam infunderent, tamen *Periclis* vires 30,000. veriti, agente *Archidama* rege, Atheniensibus pacem obtulerunt; quam dum *Pericles* acceptare noluisset; mox provinciam totam foedum in modum depopulati sunt. Interim *Pericles* in bello protrahendo, plurimum dignitati, suaeque personae consultum iri credens, classem ad Peloponnesi littora vastanda dimisit; quo stratagemate licet illos ad sua tuenda reflexerit, a novis tamen damnis inferendis non impedivit, cumque vastationis jam alter annus ageretur: insuper vero et pestis horrida in Urbe et classe grassari coepisset; tandem Athenienses a Spartanis pacem petierunt; sed ea non

a) idem. ibid. c. 24. seq. Diodor. Sic. L. 12. c. 12. p. 304. *b*) Thucid. L. 1. c. 141. seqq. Diodor. Sicul. L. 12. p. 307.

impetrata, in desperationem acti; *Periclem* tamquam totius mali auctorem, dignitate dejectum, ad mulctam pecuniariam condemnarunt: qua inflicta poena, quum Atheniensium sors melior haud evaderet, imo novis calamitatibus objiceretur: denuo *Pericli* suam dignitatem restituerunt; sed is tertio belli anno peste sublatus est. *a*) Post cujus mortem ambae Respublicae, sine certo scopo, mutatis itidem ducibus et consiliis, soli mutuo sibi continuo nocendi cupiditate et coeco impetu, varia fortuna bellum continuarunt; tandem anno belli decimo, ambae Civitates exequatis utrinque detrimentis potenter debilitatae, pacem in 50. annos admiserunt; quae tamen a Spartanis rupta, bellum longe atrocius in Sicilia recruduit; *b*) ex illa potissimum causa: quod Athenienses ab Aegesthanis in auxilium vocati, mox copias in Siciliam miserint duce celeberrimo *Alcibiade*, *c*) qui absens sacrilegii postulatus et domum revocatus, ut imminentem mortem evitaret, ad Lacedaemonios fugiens, eos ad auxilia Syracusanis danda hortatus est: qui etiam *Gylippum* ducem cum exercitu expediverunt; et constituto acri certamine, Athenienses, quibus res hactenus bene successerant, terra marique victi, *d*) omnes in potestatem hostium venerunt anno

---

a) Thucid. L. 2. c. 10. seqq. et c. 65. *b*) Thucid. L. 5. c. 6. seqq. idem. L. 6. c. 93. seq. *c*) idem. L. 6. c. 53. 61. 89. *d*) Thucid. L. 6. et 7. Diodor. Sicul. L. 13, p. 336. seqq.

anno ante. Ch. 413. quo in bello fortissimi duces *Demosthenes* et *Nicias* occisi sunt. Qua clade, et inde secuta sociorum defectione, res Atheniensium ruere coeperunt; quas tamen altero anno, opera *Thissaphernis* utcunque erexit *Alcibiades.* Quo tempore abrogato quadringentorum Virorum imperio, popularique regimine constituto, *Alcibiades* patriae restitutus, deinceps magnas res gessit. *a*) Tandem ab *Araco*, et *Lysandro* ducibus ad Aegos fluvium Athenienses duce *Conone* victi, urbe ipsa in deditiorum accepta, tandem bello finis impositus est,. quum tenuisset 27. annis. Quo tempore victis Atheniensibus, 30. Viri plena potestate sunt impositi; *b*) qui dum imperium in Tyrannidem vertissent, eos quarto anno *Thrasybulus* urbe ejecit; qui licet Atheniensibus libertatem restituit; pristinum tamen robur revehere non potuit; quoniam deinceps Primatum Spartani diu; dein vero Thebani tenuissent: donec *Philippus Macedo* omnibus superior, Graeciam obtinuisset. Cujus filius *Alexander*, libertatis umbratilem usuram eis permissit, quam etiam sub ejus successoribus licet aegre retinuerunt, imo post centum circiter annos ad foedus Achaicum etiam aggregati erant; ipsosque Romanos adversus *Philippum* III. vindices experti sunt; sed quum in bello *Mithridatico*

a) Plutarch. Alcibiad. p. 205. seqq. Diodor. L. 13. p. 365. *b*) Xenoph. Hist. Graec. L. 2. p. 455. Plutarch. Lysand. p. 441. Diodor. Sicul. L. 14. p. 396.

datico malam retulissent gratiam, duce *Sulla* ad obsequium redacti sunt; et tardius sub *Constantino M.* Imperium Romano Graecum, seu orientale est fundatum. Post Gothorum incursiones, circiter ad annum Ch. 1455. Turcae quoque nobili huic agro illuserunt; et in hodiernum usque diem inter varias seditiones tenent. Modo *Athenas* pagus est sub nomine *Satina*.

§. 5. *Status Scientiarum et Artium.* Athenis mercatus olim fuit bonarum Artium et Disciplinarum celeberrimus; quare a *Diodoro Siculo*: *communis Schola generis humani* dicitur. *Cicero* autem *a*) *Nobilissimum orbis terrarum Gymnasium* cognominat. Eo enim Romani, aliaeque nationes, Philosophiae, Graecaeque lingvae gratia se conferebant. Motivum erat maximum, cur Graeci se in scientiis et artibus percolant; quod Virorum inventa in Olympicis, aliisque ludis publice perlegerentur, ac cum applausu, variisque proemiis honorarentur; unde prout quis ingenii, doctrinaeque laude inclaruit; scholas arbitratu suo aperuit, et convenientes publice erudivit; hincque variae Philosophorum sectae sunt enatae uti: Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Epicuraeorum, Scepticorum, Cynicorum etc. Quarum Sectarum Autores erant: *Plato*, *Aristoteles*, *Zeno*, *Epicurus*, *Pyrrho*, *Antisthenes*. Ex quorum institutione celeberrimi Viri prodiverunt. In Philosophia imprimis claruerunt illi, qui septem Graeciae Sapientes

sunt

a) Lib. 4. Epist. ad Famil.

sunt dicti, *a*) uti: I. *Thales Milesius* Philosophorum Princeps, a quo secta Jonica originem ducit, qui postquam in expeditione contra *Cyrum*, *Croeso* adfuisset, 93. aetatis anno mortuus est. II. *Bias Prienensis* eodem tempore vixit. *c*) III. *Pittacus Mitylenaeus*, decem annis Tyrannidem tenuit. *d*) IV. *Cleobulus Lindius*, cujus aetate vixit V. *Solon* *e*) Athenis Praetor; qui anno postquam *Pisistratus* Athenis Tyrannidem occupavisset mortuus est. *f*) VI. *Chilo Lacedaemonius*, apud Spartanos jam senex Ephorus fuit. VII. *Myson Chenensis.* Alii etiam *Periandrum* aut *Anacharsin*, septem sapientibus adscribunt. Hos exceperunt alii memorabiles Scriptores: uti *Aesopus* Fabularum scriptor. *Epimenides* qui in spelunca 50. et amplius annis dormivisse dicitur, ac 157. et ultra annis vixisse. *g*) *Anaximenes*, *Anaximandri* discipulus. *Xenophanes* admodum longaevus. *h*) *Pherecydes* Magister *Pythagorae.* — Haec aetas, regnante apud Romanos *Servio Tullio*; apud Persas *Cyro*, apud Athenienses et Tyrannorum feracissima fuit, et Sapientum; nam praeter dictos septem Sapientes floruit et *Pythagoras*, qui se primus Philosophum

---

a) Pausanias recenset. L. 10. c. 24. *b*) Pausan. L. 10. c. 5. Diog. Laert. L. 1. Sec. 38. *c*) idem. ibid. c. 82. *d*) mortuus anno 3. olymp. 52. Archonte Aristomene. refert Diog. Laërt. L. 1. c. 75. 79. *e*) idem. ibid. c. 93. *f*) Aelian. Hist. V. L. 8. c. 16. Plutarch. Solon. p. 87. g) Diog. Laert. L. 1. c. 110. *h*) idem. L. 9. c. 18. seqq.

phum nominavit in magna Graecia seu Italia; cui ibidem Lyricorum Poetarum foetus successit: *a*) *Sappho* enim, *Alcaeus*, *Stesichorus*, *Simonides*, *Anacreon*, *Pindarus*, eodem seculo illustres fuerunt. Sub *Xerxe* Persarum rege floruit *Herodotus* Historicorum Pater, annis prope sexcentis junior *Homero*. Item *Empedocles*, *et Parmenides* Physici. *Hippocrates* Medicus. *Polycletus* et *Phidias* Statuari. *Xeuxis*, *Parrhasius*, *Timantes* Pictores clari fuerunt. Temporibus belli Peloponnesiaci, licet Atheniensium opes conciderint, cessantibus tamen armis, ibidem bonarum Artium studia viguerunt: nam *Aristophanes*, *Cratinus*, *et Eupolis* Comici Poetae: *Sophocles*, *et Euripides* Tragici: *Praxiteles* insignis statuarius: *Gorgias* aliique Sophistae quamplurimi. *Socrates* vero Philosophorum Pater, laesae pietatis in Deos, et corruptae juventutis accusatus, venenum bibere jussus, et mortuus est; cujus accusator paulopost judicio populi jugulatus est, *Socrati* vero grandis statua erecta. *b*) *Diagoras* autem Deos esse negans, Athenis exulavit, praemio publice proposito, siquis eum occidisset. Post hos, ingenii commendatione ex Philosophis inclaruerunt: *Plato* octvagenarius mortuus *c*) ante Ch. anno 341. Item *Architas*, *Antisthenes*, *Aristippus*, *Xenophon*, *Isocrates*, *Socratis* Discipuli. etc. Verum Athenas sensim sedes scientiarum

esse

---

a) Herodot. L. 3. c. 121. Clem. Alexand. Strom. L. 1. p. 366. *b*) Diogenes Laërt. L. 2. c. 44. L 9. c. 40. seqq. *c*) Diog. Laërt. L. 3. c. 3. Seneca Epist 58

esse desiit adeo: ut mercator quidam sub annum 1768. ibidem duas Scholas suis sumtibus erigeret, in quibus lingvam veterem Graecam 12. discentes redipiscerentur.

Caput XVIII.

HISTORIA SPARTANORUM.

§. 1. *Statistico Geographica notio.* Peloponnesus hodie *Morea*, ad ortum habet mare Creticum; ad occasum mare Jonicum sive Adriaticum; ad Septemtrionem sinum Corinthiacum, et Saronicum; ad Meridiem mare Mediterraneum. Peloponnesus olim octo numeravit regiones uti: *Achajam*, *Sicyonium*, *Corinthum*, *Argos*, *Elidem*, *Arcadiam*, *Messeniam*, inter quas memorabilis imprimis fuit *Sparta* sive *Lacedaemon*: quarum civitatum initia obscura sunt usque ad *Lycurgi* organisationem; cujus leges certiorem rebus Spartanorum affundebant lucem. Peloponnesus olim varia habuit nomina. *a*) sub *Apeo Phoronei* filio vocabatur *Apia*. Sub *Pelasgo*, *Pelasgia*. Sub *Argo* nominabatur *Argos*. Sub *Pelopidis Peloponnesus*. Inachia ab *Inacho* rege. Hodie *Morea dicitur* probabilius a Mauris. Generatim haec regio erat caput et arx totius Graeciae, et ut *Plinius* ait: haud ulli terrae nobilitate postferenda; quoniam rebus

a) Plinius L. 4. c. 4. et L. 1. c. 15.

rebus omnibus, quae sive ad victum uberiorem, sive ad elegantiorem vitae culturam spectant, sua foecunditate et abundantia insignis; portubus vero ac promontoriis refertissima est. Incoluerunt olim varii Graeciae populi, uti: Elii, Messenii, Achivi, Sicyonii, Corinthiaci, Lacones, Argivi, et Arcades, ob quorum Respublicas toto orbe maxime celebrata fuit: inclarueruntque ibidem varii Principes; imo successive Majestatem et Imperium totius Graeciae obtinuit. Hodie Peloponnesus, prout et tota Graecia Turcarum dominio est subjecta, licet continuo ab aliquot Graeciae regulis, quos illi *Despotas* vocabant, item saepius a Venetis fortiter fuit defensa. His, Turcae Imperatoris nomine praefuerunt *Sangiaci*, a barbaris *Morabegi* dicti, cujus annuus proventus est 14. millium aureorum. Laconum regio celebratissima olim, cujus metropolis erat *Sparta*, quae alias *Lacedaemon* vocabatur, hodie *Misithra* dicitur; condam magna et potens, non muris sed civium virtute fortissime septa: neque operum magnificentia, sed disciplina, institutisque *Lycurgi* summe memorabilis; quae demum cum Athenarum urbe de imperio et primatu fortissime pugnare non abhorruit. *a*) Alia civitas fuit *Leuctra*, a tristi clade notabilis. Item *Epidaurus* hodie *Malvasia* dicta. *Pausanias* numerat 18. urbes Laconum libertate gaudentium. *b*) *Ly*-

---

a) Thucidides in Libris 8. exposuit. *b*) vide antiquas tabulas Geographicas, et Gerardi Mercatoris. Atlas. min. p 562—565. de aliis civitatibus.

curgus in sua organisatione non considerabat impopulationem pro basi potentiae nationalis, quum numerum civium lege defixerit, ita: ut in urbe Spartana 10. millia, circa urbem autem qui habitabant Lacedaemones dicti, 30,000. essent: ac proin Spartani simul 40,000. erant; probabilius tantum armis idonei intelligendi venient.

§. 2. *Status Religionis et consvetudinis.* Praeter communes Graecorum Deos, Lacedaemonii etiam speciales coluerunt, iisdem aras et templa publica ponentes; tales Dii erant: *Jupiter tenebricosus*, *Diana*, *Apollo*, *Minerva Neptunus*, *Mercurius*, *Bacchus*, *Venus*, quibus distincta sacrificia immolarunt; sic: *Dianae* festum annuum Virgines sub diu saltantes celebrarunt. *a*) *Veneri* et *Junoni*, matres pro filiarum suarum nuptiis sacra facere solebant. *b*) Ex omnibus autem Graecis, soli Lacedaemonii coluerunt *Junonem* caprinis victimis. *Dianam Tauricam* placarunt sanguine humano, et immolandum sorte eligebant. *c*) *Lycurgus* ritum mutavit in puerorum sanguinolentam verberationem; et dum pueri caedebantur, Sacris praefuit femina: in caedendis autem pueris, absolute ob formam, aut generis claritatem parsum non fuit. *d*) Habuerunt etiam aliorum Deorum templa, uti *Gratiarum aedes. Jovis opulenti fanum. Aescu-*

lapii

---

a) Pausan. L. 3. c. 10. *b*) idem. ibid. c. 13. *c*) idem. ibid. c. 15. *d*) idem. ibid. c. 16.

lapii templum. Martis et Cereris fanum. Proserpinae simulacrum statis diebus in Eleusiniam deportari solitum. *a*) Hi nec reliquiarum erant incurii : nam Spartanos jussit oraculum *b*) quaerere ossa *Orestis.* Interim *Lycurgus* ut e radice rempublicam organisare valeat, simul optime novit religionis etiam mutationem esse necessariam : quia vero tam religiosa moralitas, quam Civilis legis conscientiosa observantia plurimum a proba juventutis educatione proficisci soleat; ideo Spartanorum cives, ad reipublicae utilitatem mature, plane inde ab infantia educandos statuit: et quidem pro militari suo plano decrevit: ut prolis recenter nata, vino lavanda ad Magistratum deferatur: quae lotio pro debili complexione lethalis putabatur, quoniam si qui defectus in prole inventi fuissent, ea lotione perimerentur, dicentes: quid utilitatis tandem sperare possent a morbida prole? Mirum, qualiter homines ita proterve naturae leges imponere tentaverint! Hanc consvetudinem *Lycurgus* a *Minoe* didicisse fertur: et ideo jam *Livius* prudenter dixit: hoc si verum est; longe alium in inferno promeruit locum. — Magis ostendit *Lycurgus* suam prudentiam in eo: quod severe prohibuerit proles per exteros educari; quia putabat Spartanum non nisi a Spartano educari posse: ideo pueros a septimo aetatis anno sub cura Magistratus in contuberniis educari praecepit; quorum insti-

a) Pausan. L. 3. c. 20. *b*) Pausan. L. 3. c. 26. atque ex tali Gentilismo videntur Sacri ritus originem sumsisse.

tutio eo pertinebat: ut legibus et Magistratibus debitam observantiam exhibere discant; quae educatio eousque extendebatur, donec gladium elevans perfecte vibrare non posset: satius enim dicebant legibus obedire quam hostem occidere. Moris praeterea erat breviter loqui, et acute cavillari, unde breviloquentia Laconum profluxit; cujus innumera habemus exempla: sic dum *Philippus* Macedoniae Rex, Laconum arbitrio reliquisset, quod velint: an ut amicus, vel inimicus ad illos veniat? rescripserunt: *neutrum.* Sic dum Argivus objecisset *Eudamidi*: Argivos Spartam venientes semper corruptis redire moribus? is reposuit: *Spartanos semper redire meliores.* Similiter ab insulanis confoederatis fame laborantibus, Legati Spartam venientes, oratione praehabita annonam petierunt: sed Spartani longitudine sermonis offensi, iis reposuerunt: *se finem orationis non intellexisse, initium vero oblitos esse.* Proinde alter venire jussus, ut rem brevius proponeret; qui etiam seposita oratione, unice *Saccum vacuum ostendit*: quo viso Senatus, cum summa complacentia signum intelligens; mox ei annonam assignavit; simul tamen et ipsum Legatum admonuit, ne in futurum tam prolixus esset, qui ostenso antea sacco, simul dixit: saccum illum debere impleri. — Ceterum Spartani exercitationem habebant in venatione, et in armis. Furari autem res minutas praesertim esculentas puero licuit; sed deprehensus solenniter flagris caedebatur: qua ratione intendebant

ad

ad vigilantiam tempore belli omnino necessariam mature adsvefacere; et ad varia stratagemata excogitanda mentem eorum convertere. Hinc male quidam intellexerunt apud Spartanos licita fuisse furta; ubi tamen factum hoc, veri nominis furtum non erat; nam legem hanc admittendo, tacite Cives juri suo in rem dextere ablatam renunciarunt: ac proin rei alienae ablatio invito Domino facta non fuit. Simili ex dexteritate nec matres pueris escam petentibus ad manus dabant, sed in elevatiorem locum ponere consveverunt, unde saltando dejicere debebant. Ita mature adsvefecerunt pueros ad frigus, aestum, famem, doloresque perferendos: quare saepius pueri a matribus suis innocenter verberabantur, quin fletum elicuissent. Qua ex consvetudine gravissimos dolores eos perferre potuisse mirari non possumus. Sic puer vulpem furatus, licet deprehensus, tamdiu tamen infra vestem absconsam occultavit, donec a vulpe extus verberata, laceratis visceribus corrueret. Ut autem pueros a vitio ebrietatis deterrerent; *Helotas* (mancipia) inebriare solebant: et quum hi se in luto volutarent, tamquam monstrum, pueris eos ostentabant, quibus tali modo horrorem ebrietatis incusserunt; aptum satis medium ad obtinendum finem, si et justum esset. Qua de causa nec licebat accensa lampade e coena domum ire; sobrium enim hominem lumine non indigere dicebant. Similia apud *Pausaniam* L. 3. legi possunt. Uti et *Eusebium*.

§. 3.

§. 3. *Status Politicus et forma Regiminis.* Sparta olim celeberrima Atheniensium aemula civitas, in provincia Lacedaemonia sita, cujus rex *Lacedaemon*, uxorem duxerat *Sparten Eurotae* filiam, qui regno potitus, regioni et incolis de se nomen indidit; ubi urbem condens, de uxoris nomine *Sparten* appellavit *a*) ad annum principatus *Mosis* in deserto 26. *b*) Ubi more ceterarum Graecarum civitatum inde ab initio seu *Lelegis* tempore, unus tantum regnabat. Verum Graeci et hic, post eversam Trojam inquieti, et ad bellandum animati; primo soli vires suos noscere, alii vero mirari coeperunt: sed in eo infelices, quod non tam exteros, quam se invicem bellis lacessiverint. Certum quidem est, quod multi regum tyrannidem arripientes, iis jugum intolerabile imposuerunt; sed eorum barbariem pertaesi, sensim jugum excutere, et Statum Republicanum inducere tentaverunt: quorum molitiones imprimis promoverunt Heraclidarum in Peloponnesum reditus; qua occasione Lacedaemonem obtinuerunt *Aristodemi* filii *Procles* et *Eurysthenes* *c*) ad annum ante Ch. 1104. a quibus dein duae Regum familiae in Urbe Spartana propagatae sunt *Eurysthenidarum* nempe

---

a) Pausan. L. 3. c. 1. Apollod. p. 211. *b*) Sims. refert. ad a. M. 2518. ac proin non a Spartis Cadmi sociis originem ducit. *c*) Pausan. L. 3. c. 1. Herodot. L. 6. c. 52. Cornel. Nepos. Agesil. c. 1. Meursius. de reg. Laced. c. 9. seqq. Polyb. L. 4. p. 303. seqq.

nempe et *Proclidarum*, quarum posteri successu temporis pro populi favore tanta emulatione decertarunt, ut sensim juribus suis cedentes, regiam dignitatem adeo minuerunt: ut ea amplius nec metui, nec invidiae argumentum esset. Unde quum urbem anarchia quasi lacerare coepisset, pro maxima reipublicae salute, *Lycurgus* salutaribus suis institutis eam ab imminenti periculo conservavit; quem de Proclidarum *a*) stirpe, patre *Eunomo* natum, et in possessione throni existentem, virtus propria de ea descendere fecit. Hic enim, Lacedaemoniorum regnum a fratre *Polydecto* filio posthumo *Charilao* relictum, quum aliquamdiu administravisset; relicta gravida regina, prolem quam utero gerebat sublaturam dixit, nisi *Lycurgus* eam in uxorem duceret; quod atrox facinus ne in effectum duceretur, prudenter feminae cupiditatem spe eludens; recenter natum Principem in solemni Spartanorum Senatu Regem futurum destinavit, ac se sua sponte regno abdicans, pro infante deinceps quoque rempublicam non minore laude fidei, quam prudentiae procuravit. Quo facto Mulier se deceptam esse videns: mox ex vindictae studio, *Lycurgum* tutelam infantis gerentem accusare non erubuit, quasi is Tutoris nomine regiam affectaret dignitatem. Quare *Lycurgus* illatam sibi calumniam refutaturus, summam Tutoris dignitatem deponens, spontaneum assumsit exilium:
quo

a) Plutarch. in Lycurg. T. 2. p. 40.

quo tempore diversas provincias adiens, nationum leges et instituta, potissimum *Minois* Cretensis et Aegyptiorum scrutabatur. Ejus absen tia paulopost turbis intestinis dum viam aperuisset, tandem post decem annos ad eas sopiendas a sagatioris ingenii civibus revocatus, optimatibus auctoribus, ipsoque *Charilao* Rempublicam ordinandam constituit: cunque vidisset se tantis malis mederi particulari reformatione non posse, totalem suscepit: ad quam perficiendam opti me noverat se Divina Humanaque ope indigere. Divinam, in Oraculo Delphico obtinuit; quia illud: Leges a *Lycurgo* dandas non modo svasit; sed plane iis utentem civitatem felicem futuram declaravit. Humanam autem opem in amicis invenit, quibus privatam felicitatem, justitiae et amori patriae postponendam persvasit. Itaque anno ante Ch. 884. *a*) Reipublicae hanc dedit organisationem: I. Binos Reges uti antea erant permisit, sed iis solum concessit jus praesidendi in consessibus, Imperium militare tempore belli, et summum sacerdotium: ita tamen ut siquid deliquissent contra legem; ad quaestionem trahi et puniri possint. Unde *Lycurgus* forte unicus Legislator erat, qui leges supra thronum, et Magistratus circa scabella throni eisdem inservire coegit; dum alii homines in eo collocant, et ad eorum pedes sacras deponunt

X le-

a) Pausan L. 5. c. 4. Plutarch. in Lycurgo. T. 2. p. 39. seqq. Eusebius in Chron.

leges. II. Regibus, 28. Senatores opposuit, sine quorum consilio nec decernere, nec quidpiam judicare poterant: utrosque autem fraenabant annui quinque Ephori, quos *Herodotus* a *Lycurgo* institutos ait. Alii *a*) autem tardius ad a. M. 3178. a *Theopompo* constitutos tradunt: cui ex senatu domum revertenti dum uxor objecisset, eum hoc modo Regiam potestatem subvertisse; is reposuit: se potius robur ad ejus durabilitatem addidisse. Quae tamen Ephororum regiminis forma haud erat diuturna, ut experientia docuit. III. Populo dedit potestatem Senatores, Ephorosque creandi, votum praeterea decisivum in negotiis publicis. (Ephori habebant ius Reges et Senatores officio amovendi, et poenis afficiendi, nisi Oraculum aliud svasisset.) IV. Reliqua *Lycurgi* instituta eo directa erant: ut cives in modo vivendi aequales sint, ne videlicet invidiae aut dissensiones ex inaequalitate possessionum orirentur; quod cum obtinere non potuisset omnes aequaliter divites faciendo; fecit omnes aequaliter pauperes: in hunc finem agros privatis ademtos, publicos effecit; quos spe otii, facile ad eorum cessionem permovere potuit: tantumque ex frugibus agrorum quivis civium percepit, quantum ei necessum erat; hosque non per

---

a) Eusebius in Chron. de Jure Ephororum. Corn. Nepos. in Pausan. c. 3. Meursius. in Miscell. Lacon. 2. 4. Joh. Phil. Pfeifferus. Antiq. Graec. L. 2. c. 2.

per labores manuum suarum, sed per certum genus servorum, seu mancipiorum (quos Helotas vocarunt,) colebant. Vera haec aequalitas, super maxima injuria Helotarum erat fundata; nam Spartani simul 40,000. perfectum suum otium conservare poterant, centum millia Helotarum in duriorem, terribilioremque servitutem conjiciendo: quoniam autem respublica per amissionem Helotarum nihil perderet, eos summa crudelitate tractabant; imo lege constitutum erat; ne multitudo eorum, libertati civium periculosa evadat: quare increscente Helotarum numero, juvenes Spartani inopinate in eos irruentes, ferarum instar numerum minuere consveverunt. Adeoque summa Spartanorum libertas, cum summa Helotarum servitute fuit conjuncta, et felicitas paucorum, super infelicitate multorum aedificata erat. Ne tamen Spartani per summum otium degenerent, assignavit eis corporis exercitationes. Item V. usum auri et argenti penitus sustulit, ferream monetam admodum gravem inducendo; ut sic omnem avaritiae mâteriam subtraheret. VI. Viros per sodalitia publica, ne regibus quidem exceptis epulari jussit; ut sic luxum, et inde promanare solita vitia exstirparet: in quibus epulis parum, sed utile loquebantur, utque praesentes ad silentium adsvefierent, unus ex senioribus exclamare solebat: nihil eorum quae hic dicuntur foris propalare licebit. *Lycurgus* leges non literis, sed disciplinae mandavit, in legibus enim, quas ille *Rhe-*

 tras

tras appellavit, sancitum erat: ne leges scriberentur, sed ut moribus deinceps semper custodirentur. *a*) Quibus suis legibus ut firmitatem et perpetuitatem adderet, a civibus jusjurandum exegit, se nihil de legibus immutaturos, donec ipse a consulendo Delphico Oraculo reverteretur; quas ubi ab *Apolline* probari cognovisset, nunquam in patriam reversus est: sed ut a Spartanis perpetuo leges ejus servarentur, se cremari iussit, ea cautela usus: ne cives per delatos cineres, se a juramento solutos esse crederent, ideo cineres in aquam projici jussit.

§. 4. *Status Belli et memoria Principum Virorum.* Spartanam gentem ad annum M. 2590. condidisse fertur *Lelex* indigena, unde et populi quibus imperabat, *Leleges* sunt nominati, prout soli Lacedaemonii testantur. *b*) Unde error *Platonis* *c*) patet: qui Lacedaemoniorum natalia obscura, Rempublicam vero novam facit; licet quatuor ante bellum Trojanum seculis *Leleges* illam fundaverint. Ceterum *Lelegi* successit filius ejus *Myles*, eo autem mortuo *Eurotas* filius regnum obtinuit, *d*) qui regnum reliquit filio *Lacedaemoni*, a quo et regio *Lacedaemon* nomen obtinuit, *e*) et urbem quam condidit, ab

---

a) Plutarch. Lycurg. T. 2. p. 44. seqq. Pausan. L. 5. c. 4. Clem. Alexand. L. 1. Strom. p. 390. seq. *b*) Apud Paus. L. 3. c. 1. olim Locros dictos ait: Plinius L. 4. c. 7. et Strabo. L. 7. *c*) de legibus L. 1. c. 15. §. 10. seq. et L. 2. c. 22. §. 18. *d*) Apollodor. L. 3. p. 211. *e*) Pausan. L. 3. c. 1.

ab uxoris nomine *Sparten* appellavit. Cujus filius *Amyclas* patri succedens, plures in Laconia urbes condidit. Ex cujus familia ad annum M. 2901. regnavit *Orestes*; cui successit filius *Tissamenus*, quo regnante Heraclidae in Peloponnesum rediverunt. Hic postquam *Aristodemus*, a *Tisameni* consobrinis fuisset interemtus, mox duo *Aristodemi* filii *Procles* et *Eurysthenes* Laconiam obtinuerunt; qui gemini etsi voluntate essent dissidentes, tamen approbante Oraculo simul regnarunt: a quibus dein apud Spartanos duae Regiae familiae sunt exortae. *a*) Lacones erant inde ab initio bellicosi, qui ad tibiae cantum pugnare didicerunt *b*) ab Heraclidis, qui dum Spartam ingrederentur, praeeuntibus tibicinibus victoriam obtinuerunt. *c*) Interim tota Historia Spartanorum, optime in quatuor periodos dividitur: nempe I. a *Lelegis* tempore usque ad *Lycurgi* legislationem. II. ab institutione *Lycurgi*, usque ad eam potentiam, ad quam bellis pervenerunt, nempe: III. prout magna virtute Messenios, Persas, et Athenienses devicerunt. IV. Prout ipsa Sparta dominatum amittens succubuit: subjectaque fuit Thebanis, dein Macedonibus, item inter suasmet dissensiones, Achaeis, demum Romanis ab anno ante Ch. 197. usque 146.

Et

---

a) Paus. L. 3. c. 1. Apollod. p. 156. *b*) Paus. L. 3. c. 17. *c*) Sims. ad A. M. 2901.

Equidem longe aliam faciem induit Spatana Respublica post *Lycurgi* legislationem; nam ex tota ejus organisatione suapte patet: eum voluisse ex Spartanis unam familiam, eamque militarem formare. Quare quivis enthusiasmo afflatus, mortem virtuosam et honestam, vitae ignominiosae praeferendam esse ducebat. Unde heroica eorum facta explicari facile possunt. Sic dum quidam Persa ad terrorem Spartanis incutiendum proferret: Persas tantam copiam sagittarum in pugna proxima vibraturos, ut sol obscuraretur! ad quod Spartanus generose reposuit: eo melius quia sub umbra pugnabimus. *Agis* Rex solitus erat dicere, Spartanos non interrogare quanta sit hostium multitudo? sed ubi sit hostis? — Idem interoganti cuidam: quantus sit numerus Spartanorum? reposuit: ante pugnam pauci, sed in pugna admodum multi videntur. Nec mirum, quia intrepidi pro salute patriae pugnare solebant; nam miles quidam Spartanus lethaliter vulneratus, dum hastam sibi in dorsum vibratam conspiceret, vicino suo reposuit: transfige pectus! ne viso post mortem vulnere amici mei erubescant. — Imo ipsae etiam feminae simili spiritu erant imbutae, ut plane ipsam naturam vicisse viderentur. Sic Mater quaedam, filio de brevitate hastae conquerenti reposuit: adde ei adhuc unum passum. Alia vero mater ubi nuncium accepisset, recte nunc filium suum in bello occubuisse! reposuit: Sepelite eum, et locum ejus occupet alter filius. — Itaque Lace-

dae-

daemonii *Lycurgi* disciplina imbuti, quum plus armis quam vicini possent, hos sensim agris privarunt, unde plura bella cum iis, imprimis vero cum Argivis gesserunt: maximam tamen nominis celebritatem a fortitudine consecuti sunt in dupplici Messeniorum bello, quorum primum 20. annis *a*) duravit; commissisque variis praeliis, tandem Messenii *Ithomen* praecipuam et munitam civitatem deseruerunt; quam Spartani *b*) mox solo aequarunt anno ante Ch. 723. seu an. primo Olymp. 14. quo in periculo Messenii majori ex parte in servitutem sunt redacti; alii vero duce *Alcidamida* in Italiam commigrantes *Rhegium* urbem condiderunt: *c*) prout et *Partheniis* Tarenti conditoribus originem dederunt. — Secundum bellum Messenicum post 39. annos ex eorum defectione ortum est; quo in casu Spartani, svasu Oraculi Delphici ducem sibi ab Atheniensibus petierunt: qui eis pro ludibrio *Tyrtaeum Poetam* claudum miserunt, *d*) qui initio odio exceptus, mox tamen eorum animos adeo inflammare novit, ut anno belli 14. Spartani feliciter Messenios una cum duce *Aristomene* omnium mortalium audacissimo *e*) domuerint ea lege: *f*) ut Messenii Peloponneso relicta, in Italiam abirent: qui etiam ibidem amissa patria, *Messanam* urbem condiderunt. Post

---

a) Paus. in Messenicis. L. 4. Strabo. L. 8. Justin. L. 3. c. 4. seq. *b*) Pausan. L. 4. c. 13. *c*) idem. ibid. c. 23. *d*) Justin. L. 3. c. 5. Pausan. L. 4. c. 15. *e*) Idem. ibid. c. 17. seqq. *f*) idem. ibid. c. 20—23.

Post hanc Messeniorum debellationem, fundamenta magnitudinis Spartae posita sunt; atque ob concordiam civium; militaria instituta; et agrorum ubertatem; Regimen fixum, quietum, et exteris formidabile reddiderunt; imo totam Peloponnesum in suam potestatem redigere potuissent, quum vicinae civitates intestinis adhuc dissidiis detinerentur, cumque earum civitatum politicas discordias Spartani occulte fovere novissent.

In Bello Persico contra *Xerxem* gesto ad annum ante Ch. 480. amplius Spartanorum virtus apparuit. *Leonidas* enim Dux cum tercentis Spartanis, et quatuor millibus Graecis, in Thessaliae faucibus *a*) seu ad *Thermopylas* ingentem Persarum exercitum longo tempore sustinuit; ubi quum ceteri Graeci aestum belli ultro experiri noluissent, tercenti tamen illi Spartani in loco cum paucis Thespiis manserunt; cum quibus *Leonidas*, ob angustias montium, 20. millia Persarum interfecisse dicitur; donec ab *Ephialto* Graeco transfuga, via arctissima monstrata fuisset: ubi a Persis Spartani undique circumventi, internecina clade una cum *Leonida* deleti sunt. *b*) Quare mox alter Spartanorum Rex *Pausanias I.* in amicitia Atheniensium contra Persas missus, ingentem Persarum exercitum ex 300. millibus *c*) constantem, ad *Plataeas* una cum duce

---

a) Herodot. L. 7. c. 201. seqq. *b*) idem. ibid. c. 217. —227. Herodot. L. 9. c. 59. seqq. Diodor. Sicul. L. 11. p. 258.

duce *Mardonio* superavit: quare continuato Persico bello, adhuc summa belli potestas penes eum mansit; sed ubi *Pausanias* superbia sua sociorum animos offendisset, imo capto Byzantio, cum Persis occulta consilia de prodendo Graecorum exercitu, spe nuptiarum inivisset; adeo Spartanos a se alienavit: ut domum revocatus, de scelere convictus, capitis poenam ob patriae proditionem subire cogeretur. *a*) Cujus loco belli dux contra Persas electus est *Cimon*, qui summum Graeciae imperium a Spartanis ad Athenienses feliciter tanstulit. Hinc Spartanos inter et Athenienses multae velitationes, imo atrocissimorum bellorum orta sunt initia; ut in rebellione Pôtidaeae manifeste apparuit. Nam Spartani brevi post duce *Lysandro* validum Atheniensium in Thracia exercitum ex improviso aggressi, non modo profligarunt; sed et Athenas expugnando, ipsum etiam Persarum regem magnis incommodis cum *Agesilao* Rege affecerunt. Quibus in periculis mox ab *Artaxerxe* Persa, *Pharnabasus* et *Thissaphernes* cum valida expeditione ad Asiae regiones pacandas dimissi sunt; quod planum Graeci Asiatici advertentes, Spartanorum auxilium implorarunt; qui etiam *Dercyllidam* ducem cum copiis contra *Pharnabasum* expediverunt. Ipse vero *Agesilaus* *b*) in Asi-

a) idem. ibid. p. 265. Thucyd. L. 1. c. 129. seqq. De Agesilao Spartanorum, et Conone Persarum ducibus, vide Diodor. sic. L. 4. c. 80. seqq. Cornel. Nepos. in Conone et Agesilao. Justin. L. 6. c. 1. seq.

Asiam profectus, victo et occiso *Thissapherne*, non modo Phrygiam occupavit, sed etiam totius Persiae vires nimium debilitavit. Interim quia *Tithraustes* dux Graecos jam pecunia corruperat, *Artaxerxes* autem occulte contra perniciosos hostes Spartanos, diversis pollicitationibus Boeotos, Athenienses, Corinthios, et Argivos concitasset; Spartani mox *Agesilaum* ex Asia ad salvandam patriam domum revocarunt; qui etiam brevi contra Boeotos eorumque socios, anno. ante Ch. 393. celebrem ad *Coroneam* reportavit victoriam. *a*) Sed ex parte Persarum etiam *Conon* jam ante Classi Persicae Praefectus, navali certamine ad *Cnidum* similem obtinuit victoriam: qua Lacedaemonii omne maris Imperium amiserunt. *b*) Post quae, omne bellum ad Corinthum translatum est: quod per septem annos magna virtute *Agesilai*, *Thrasybuli*, et *Iphicratis* gestum, tandem *Aatalcidae* Spartani ducis opera, Graecis quidem minus honesta pace compositum est. *c*) Sed ubi post quatuor annos bellum contra *Olynthos* ortum fuisset; imo Spartani *Phoebida* duce Cadmaeam Thebanorum arcem fraudulenter occupassent, nova bellorum semina Graecos inter et Spartanos jacta sunt. *d*) Verum ubi Thebani *Pelopidae* consilio

silio

---

a) Xenoph. L. 3. p. 501. seqq. Diōdor. Sic. L. 14. p. 440. seqq. Pausan. L. 4. c. 17. *b*) Diodor. Sic. L. 14. p. 442. Xenoph. Hist. L. 4. p. 517. *c*) Xenophon. L. 5. Diodor. Sicul. L. 14. c. 26. *d*) Xenophon. de Hellen. L. 4. p. 540. seqq. Diodor. Sic L. 15. c. 20.

silio arcem et libertatem recuperassent, Graeciae civitates ducibus Atheniensibus, contra Lacedaemonios denuo conspirarunt; unde conflatum est bellum *Boeoticum: a*) quod tamen interventu *Artaxerxis Mnemonis* est compositum. Verum haec Graecorum concordia haud erat diuturna, unde recrudescente bello, longe acrius ac ante inter se dimicarunt: Thebani enim jam pridem ad Graeciae imperium adspirantes, communi voto contra Spartanos arma sumserunt; qui etiam duce *Epaminonda* praelio decretorio ad *Leuctram* commisso, rege quoque *Cleombroto* caeso, insignem reportarunt victoriam. Ita fractis Laconum viribus, Thebani plane Spartam obsidebant; quibus in periculis Athenienses ex invidia crescentis potentiae Thebanorum, sponte Spartanis auxilio venerunt, quos tamen *Epaminondas* temerario ausu aggressus, rem omnem praelio decretorio decernendam statuit: qui etiam in postremo praelio ad *Mantineam* anno ante Ch. 362. dubia victoria pugnans, ex apcepto vulnere occubuit: *b*) et cum eo Thebanorum, totiusque ferme Graeciae virtus corruit adeo: ut pax universalis inter Graecos constitueretur, quoniam et *Agesilaus* eodem anno opem contra Persas laturus, in Cyrenaica, anno aetatis 84. obiisset. — Interim haec pax Universalis Graeciae non

a) Idem. ibid. p. 469. Xenoph. L. 5. p. 567. seqq.
b) Xenophon hic desinit. Diodor. Sicul. L. 17. c. 82 — 88. Justin. L. 6. c. 7. 8. Cornel. Nepos. in Epam.

non erat diuturna; nam *Chii*, *Rhodii*, et *Byzantini* cum *Mausoleo* Cariae rege conspirantes, ab Atheniensibus summa ignavia defecerunt; unde *Sociale Bellum* triennale conflatum, *a*) vix erat pace compositum; jam alterum erupit, quod *Sacrum bellum* appellarunt: *b*) cui inmixtus *Philippus Macedo*, brevi libertati Graeciae exitium adtulit.

Causae interitus Reipublicae Spartanae. I. Ambitio non irritabat Spartanos ad novas expugnationes sponte suscipiendas. II. Constitutio eorum erat contraria extensioni Imperii. Iis enim temporibus, dum eos debilitas vicinarum civitatum irritare potuisset ad augendum imperium; temperantia eos cohibuit. Sicque dum vicinas nationes vincere nollent; brevi dum illae ad florem pervenissent, Spartanisque formidabiles evasissent, poenituit eos facti eo magis: III. Quia Graeci omnes erant libertatis amantissimi; nihil autem est magis arduum, quam populum jam liberum denuo subjugandi. IV. Spartani crudelissime tractabant populos devictos, redigendo eos in conditionem Helotarum; quae dura servitus, cunctos populos in desperationem conjiciens, extrema quaequae eam evitandi adhibuere media. V. Ipsi Spartani potentiam suam per varias occupationes potius imminuerunt: quum manente eodem civium numero; Helotarum numerum auxis-

a) Diodor. Sicul. L. 16. c. 21. *b*) Idem. ibid. c. 23. Justin. L. 8. c. 1. seqq.

auxissent. Itaque melius fuisset: si more Regum Romanorum devictas civitates in numerum civium suorum recepissent. Quae causae demum effecerunt: ut Sparta semper respective debilis maneret; et heroibus impossibile esset iis etiam temporibus occupationes facere, quibus impossibile erat eos vincere: quare illi pedetentim in ruinam properare necessario debebant.

§. 5. *Status Literarum et Artium.* Lacedaemonii, primis temporibus barbarorum more scientias contemsisse videntur; quoniam illi in omnibus rebus, praecipue in victu, corporisque cultu aequalitatem sevarunt; illi primo corpora nudarunt, vestesque palam exuentes in ludis gymnicis certaturi se se oleo unxerunt; cujusmodi feritatem paulo ante *Thucydidis* aetatem deposuerunt. *a*) Ex institutione autem *Lycurgi*, juvenes septimo aetatis anno per patrios viros educari debebant sub accurata Magistratus inspectione, ubi rejectis aliis scientiis et artibus, unice obedientiam legibus et superioribus exhibendam didicerunt: item armorum tractationem. *Lycurgus* enim bonos milites, non sapientes formare intendebat. Docebantur praeterea veritatem breviter eloquendi; unde stilus Laconicus invaluit. Quod autem *Lycurgus* omnes artes et scientias, quibus luxum et mollitiem conjunctam esse putabat, e republica penitus elimina-

ve-

---

a) Thucyd. p. 5. Herodot. L. 7. 209. Pausan L. 2. c. 14.

verit; ex summo artium contemtu patet: nam cum Orator quidam Spartam veniens promisisset se de minimo quovis objecto, tota die summa eloquentia locuturum: Senatus eum e Civitate pepulit. — *Agesilaus* Rex autem vocatus ad audiendum hominem, qui philomelae cantum perfectissime imitari noverat; reposuit: se jam saepius ipsam philomelam audivisse. Imo *Eudamidas*, dum senem *Xenophontem* in scholis cerneret; eum interrogavit, quid nam ibi quaereret? ad quod Senex reposuit: in Schola virtutum, *Virtutem quaero!* cui *Eudamidas* respondit exclamando! Miser! quando ergo exercebis illam; si primum in senectute quaeris. — Ceterum Spartani didicerunt etiam senibus meritis, condignum honorem exhibendi; nam quum senecio quidam Ludos Olympicos intraret, sibique in omnium nationum partibus sedilem locum quaerendo non inveniret; casu versus juventutem Spartanam dum appropinguaret; haec universa assurgens, locum ei honorificum cessit: quod pietatis factum senecio admiratus, in haec prorupit verba: *Dii immortales! omnes Graeci noscunt virtutem, et soli Spartani exercent illam!* ex qua causa *Lysander* nullibi senectutem tam honorabilem ac Spartae esse putabat; ideoque nihil amplius optabat, quam Spartae consenescere.

Caput XIX.

HISTORIA THEBANORUM.

§. 1. T*hebae* in Achaja Graeciae provincia sitae erant, quae jam olim tanta celebritate claruerunt, ut neque Athenis cederent, tamquam patria multorum illustrium virorum. Vocatur alias haec regio *Boeotia.* Horum Dii praecipui erant: *Apollo*, *Diana*, *Venus.* Et quidem *Apollini* annuum eligebant sacerdotem Laurea coronatum, *a*) cui imprimis tauros immolarunt. Thebani habebant etiam Deae *Fortunae* aedem; unde crediderunt: *quemvis ita praecellere, prout fortuna utitur. b*) Circa annum M. 2200. teste *Pausania c*) Thebis regnavit *Ogyges*, *Jacobo* aequalis; cujus aetate in Attica contigit celebre diluvium Ogygium, Poetarum encomiis celebratum. Hic ab initio singulae urbes suos habuerunt regulos nemini subjectos, et cum reliquis civitatibus in commune de Republica consulentes; quorum tamen nomina et seriem, in monumentis Historicis non reperimus. Quare antiquissima eorum tempora obscura declaramus. Juxta fidedigniores autem Scriptores, *d*) Regnum Thebanorum *Cadmo* Phoenicio originem debet, qui *Europam* sororem frustra quae-

a) Pausan. L. 4. c. 10. *b*) idem. ibid. c. 16. *c*) L. 9. c. 5. Africanus ap. Syncell. p. 148. Ogygum Mosi aequalem facit. *d*) Diodor. Sicul. L. 4. c. 2. Pausan. in Boeoticis. L. 9.

quaerens *Thebas* condidit, *a*) primusque literas circa a. M. 2520. in Graeciam attulit. Et si *Palaephato* fides est: *b*) *Cadmo* in Boeotiam veniente Thebis regnavit *Dracon*, quo occiso *Cadmus* regnum occupavit; cui *Draconis* filii et amici regnum occupare volentes, bellum intulerunt: *c*) sed iis victis, sat diu Thebani libertate et pace sunt gavisi; donec ab *Eteoclis* filiis, validissimo Graeciae auxilio, summa animorum exacerbatione, bello fuissent lacessiti. *d*) Et quidem praelio ad *Ismenum* inito, mox Thebani victi, ac in fugam versi intra moenia se receperunt; ubi septem Peloponnesii foederati duces inprovide prosecuti, fere internecina clade deleti sunt: sed et Thebanis haec victoria magna constitit clade. *e*) Ceterum post decem annos caesorum ad Thebas Ducum filii *Epigoni* dicti, ut patrum caedes vindicarent, contra Thebanos bellum gerendum statuerunt: quo etiam Thebani acie victi, omnique spe plane destituti, *f*) svasu cujusdam vatis urbem deserentes: ad *Thisphosaeo* promontorium se receperunt, *Epigonii* vero urbem vacuam diripientes, praedarum partem Delphos Apollini miserunt.

---

a) Palaephatus. de incredibilibus. c. 16. §. 6. *b*) ibidem. *c*) Apollodorus. L. 3. p. 169. Draconem facit belluam, seu serpentem, fonti appositum custodem, qui ex aquaturis plerosque absumsit; tandem a Cadmo interfectus est. *d*) Diodor. L. 4. c. 67. Apollodor. 194. Pausan. L. 9. c. 25. *e*) Pausan. L. 9. c. 9. Apollod. p. 192. *f*) Strabo. L. 9. p. 731. Apollod. p. 196 Diodor. Sic. L. 4. c. 68.

serunt. His igitur infortuniis agitati Thebani, tandem post duas celberrimas Graeciae Respublicas Atheniensium nempe et Spartanorum, caput efferre coeperunt imprimis virtute ac prudentia *Epaminondae*: qui una cum *Pelopida* crassos Boeotos, quos per ludibrium ob rusticitatem et disciplinae defectum porcos vocabant; ita excitavit instituitque: ut compresso Spartanorum fastu, principatum inter Graecos aliquamdiu tenuerint. Nam post pacem *Antalcidae*, licet arx Thebana *a*) a Spartanis occupata, populusque suppressus esset; tamen *Pelopidas* eam strenue libertati asseruit. *b*) Unde bellum denuo variis cladibus gerendum exortum est: quo Spartani virtute *Epaminondae* fere ad incitas redacti sunt, exagitatique continuo, donec tandem in pugna ad *Mantineam* anno ante Ch. 362. *Epaminondas* ex accepto vulnere occumberet, et cum eo Thebanorum virtus tumularetur. *c*) Quo mortuo civitas sensim ad pristinam socordiam relapsa est; imprimis *Sociali bello d*) a plurimis sociis deficientibus contra Athenienses gesto; item brevi concitato *bello Sacro; e*) cujus belli causa inde est repetita: quod *Amphictyones* Lacedaemoniis et Phocensibus mulctam dictaverint; et quidem Lacedaemoniis ideo:

a) Xenoph. L. 5. Diodor. L. 15. c. 20. *b*) Xenoph. L. 5. Diodor. Sicul. L. 17. c. 25. *c*) Idem. ibid. c. 83. seqq. Justin. L. 6. c. 7. 8. *d*) Diodor. Sicul. L. 16. c. 21. *e*) Idem. ibid. c. 23. Justin. L 8. c. 1. seqq.

quod Cadmeam Thebarum arcem occupaverint. Phocensibus vero ideo: quod *Chirrhaeam* agri sacri partem, (quam *Solonis* jam aetate Graeci Apollini sacrarunt,) opere rustico exercuissent. Ob hanc igitur mulctam, *Philomelus* Phocensium rex, cum Spartanorum rege *Archidamo* consilia sua conferendo, eo rem perduxit: ut Delphis occupatis, omnia decreta Amphictyonum annihilarent; quo plano longe gravius bellum erat concitatum; in quo Phocenses aliquamdiu contra Locros et Thebanos secundo marte pugnarunt; donec tandem anno decimo, bellum hoc a *Philippo* Macedone, ad cujus auxilium Thebani confugerant composito, et commissum scelus, ultima gentis clade expiatum fuisset: ipsa vero urbs cum Thebanorum imperio deleta anno ante Ch. 346. seu anno 2. Olymp. 108.

Caput XX.

HISTORIA MACEDONUM.

§. 1. *Statistico Geographica notio.* In magna Graecia, amplissima Regio occurrit Macedonia, ab *Osiris* filio *Macedone* rege sic dicta; olim variis nominibus a scriptoribus celebrata, uti: *Emathia*, *Poeonia*, *Edonia*, *Pieria*, *Boeotia*, *Ma-*

Macetia, *Cethim.* etc. *a*) Macedonia ab occasu habet mare Jonicum; ab oriente mare Aegaeum; a septemtrione Moesiam et partem Dalmatiae; a meridie Epirum et Achajam. Regio haec ex omni parte fertilis, maximis montibus circumsita, uti: *Pelion*, *Pindus*, *Nymphaeus*, *Athos.* etc. Auri et argenti dives. Olim Macedonia teste *Plinio*: terrarum imperium potita, sub *Philippo II.* et *Alexandro M.* sequentes Regiones complectebatur, uti: Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam. Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum; dominata praeterea est Bactris, Medis, Persis, possidebatque totum orientem: Victrix fuit Indiae. Urbes olim multas et nobiles habuit, quarum praecipua erat *Thessalonica*, olim et hodie a multis gentibus Christianis habitata, imo et Judaeis, qui ibidem 80. Synagogas habuerunt; hodie sedes est *Sangiaci*; qui ad mandatum Turcorum Imperatoris quingentos equites bene armatos habere debet, ex quibus centum ad defensionem limitis continuo tenet. Huic vicina urbs erat *Siderocapsae* auri fodinis celebris. *Pella* ubi thesaurus Regis custodiebatur. *Stagira Aristotelis* patria. *Apollonia* ubi Augustus Imperator Graecas literas didicit. Praeter *Strimonem* fluvium celebratur *Axius*, *Erigonus*, *Aliacmon*, *et Peleus.* — *At-*

a) Solinus. Plinius. Trogus, Livius, Hesychius. In libris autem Machabaeorum *Cethim* dicitur, unde Alexander eggresus est.

hos mons nunc etiam a Calugeris Monachis tanta religione incolitur, ut etiam Turcae illa terra continuo abstineant; imo eos Monachos variis muneribus excolant.

§. 2. *Status Religionis.* Religionem communem cum aliis Graecis habebant, attamen coluerunt et patrios Lares diversis sacrificiis; quibus et Ministros constituerunt. Ad Religionem Christianam suscipiendam jam primis Christianorum annis proni erant; apud quos jam ipsi Apostoli Episcopatum instituerunt in urbe Thessalonica; ad cujus fideles etiam Doctor Gentium *S. Paulus* Epistolas scripsit; successive exorto in Ecclesia Schismate, potissimum orientalis Ecclesiae ritum profitentur in hodiernum usque diem.

§. 3. *Status Politicus et Forma Regiminis. Caranus* Dux de gente *Herculis, a*) collectis in Peloponneso variis hominibus in Macedoniam superiorem venit; et ibidem *Lycurgi* temporibus *b*) regnum auspicatus, Macedonicae Monarchiae prima fundamenta jecit. Sub cujus sucessoribus Macedoniam sicut et Epirum diu nationes multifariae minores habebant, quibus perpetuus inter se conflictus erat. Tandem *Perdiccas*

---

a) Syncell. p. 198. *b*) Vellej. L. 1. c. 6. Justin. L. 7. c. 1. Solinus. c. 15. In inferiore enim Macedonia jam tunc regnatum erat. Unde in numero et ordine Regum, praetensa divertas orta videtur. vide Spanh. de usu et praestantia Numorum, Dist. 7. p. 372. seqq.

cas eo fere seculo quo Roma existere coepit, eas in unum conciliavit regnum; cujus successores reges, initio Persis obnoxii facti; dein ab Atheniensibus subjugati, portus etiam suos exercendae negotiationi commodare compulsi sunt. Demum in potestatem Thebanorum pervenerunt. Ac proin dum Graeciae civitates de principatu perpetua bella gererent, interea Macedonicum Regnum antea obscurum, imo a ceteris Graecis contemtum, arte callidissimi Regis *Philippi* II. in tantum excrevit: ut sensim toti Graeciae compedes poneret. Sub initio quidem regni *Philippi*, Macedonum potentia adeo tenuis erat, ut vicinis, imprimis autem ignobilioribus gentibus difficulter resisterent. Verum postquam barbaras gentes vicinas, opinione citius *Philippus* sub jugum misisset, politicis mediis debilioribus contra potentiores auxilium conferendo; mox audaciam sumsit Graecas etiam civitates iisdem artibus impugnandi; quas inter se sat diu decertare permittens, dum jam mutuis caedibus vires proprias enervassent, repente cunctos oppressit. Sicque subacta et pacata tota Graecia, brevi ab iisdem Graecis Dux belli contra Persas electus *Philippus*, qui dum expeditionem appararet, a suis interfectus, rei exequendae gloriam filio suo *Alexandro* reliquit. Hujus *Philippi* ingenium et prudentia rei civilis, realia posuit fundamenta ingentis illius Monarchiae, quam dein filii *Alexandri* audacia, et res secundae excitarunt. Vastum hocce Imperium Macedonicum, quoniam

Ale-

Alexander continuis bellis occuparetur, administrabatur optimis institutis per Praefectos et Duces. *Alexandro* autem mortuo, quoniam is neminem successorem designare voluisset; tot fere reges evaserunt, quot erant Praefecti et Duces, qui provinciis Proregis titulo interse partitis, praesse coeperunt. Quum autem familia *Alexandri* fuisset exstirpata, omnes Regium titulum assumserunt; unde *Alexandri* Macedonicum imperium, quatuor separata regna peperit, nempe: *Macedonicum*, *Asiaticum*, *Syriacum*, et *Aegyptiacum*: quae sub propriis Regibus sat diu floruerunt, donec Romanorum jugum cuncta subire cogerentur. Itaque Macedonia post mortem *Alexandri M.* imperii dignitatem amisit, et solum regni titulum retinuit; cujus ultimus rex erat *Perseus* a Romanis captus. A urbis conditae 586. Omnes autem hi Reges, quia ab *Carano Heraclida* orti credebantur, ideo passim *Heraclidae* nominari voluerunt. De novis his quatuor regnis enatis, inferius specifice brevibus agemus.

§. 4. *Status Belli et memoria Principum Virorum.* In Graecia Magna Macedonicum regnum temporibus *Lycurgi*, *Caranus* Heraclidarum dux fundavit; *a*) inter cujus obscuros successores *Coenus* et *Tyrimas* *b*) passim memoran-

a) Marsham. Chron. sect. 15. *b*) Series Regum Macedoniae. ap. Justinum L. 7. et Eusebium item in Fragmento Dexippi Herennii.

rantur. Dein regnum hoc gubernatum fuit a *Perdicca* diuturnitate imperii celebri, ejusque filio *a*) *Argeo*, quem *Philippus* I. excepit, huic *Eropas* in cunis victor successit, et post eum *Alcetas*. *b*) Demum *Amyntas* longo et felici imperio regnavit, successoremque habuit *Alexandrum Divitem*, qui *Xerxi* Persarum Regi in Graeciam tendenti; se cum magno regni sui emolumento submisit. Huic circa annum ante Ch. 400. successit *Perdiccas* filius, qui etiam 31. annis quietum regnum tenuit; verum postea a *Sitalce* Thracum rege, regno fere privatus; *c*) pace tandem facta restitutus, deinceps ad mortem usque Atheniensium hostis evasit: succesitque ei *Archelaus* post 16. annos, ex accepto vulnere mortuus, *Orestem*, infantem reliquit, quem *Aeropas* Tutor *d*) perfide occidendo, regnum quatuor annis usurpavit; hunc *Pausanias* brevi unius anni regimine excepit: post quem *Amyntas* II. annis 24. laudabili imperio rexit, qui anno M. 3580. moriens, quatuor filios successores reliquit, nempe *Alexandrum* a fratre *Ptolomaeo* post unius anni regimen occisum; *e*) *Ptolomaeum* autem tertius frater *Perdiccas* occidit, hic autem

---

a) Herodot. L. 8. Justin. L. 7. c. 2. Solinus. c. 14.
b) Diodor. Sicul. L. 14. c. 38. aliter ordinem regum refert. *c*) Thucid. L. 2. et 5. sub Specie Amyntae describitur. *d*) Diodor. Sicul. L. 14. c. 85—93. Justin. L. 7. c. 4. *e*) Historia Filiorum Amyntae, optime legitur apud Diod. Sicul. L. 16. c. 2. seq. Justin. aliter refert L. 7. c. 5.

autem ab Illyriis post quinque annos interfectus est. Cui minimus frater *Philippus* II. successit; qui Macedoniae magnitudini fundamenta jecit: sub ejus enim antecessoribus Macedonia partim Persis, partim potentioribus Graeciae civitatibus tributi pensione, et armorum auxiliis obnoxia fuit. ubi praeter bella, domesticasque dissensiones ob successionem principum concitatas, nec non quorundam principum caedes, vix aliquid memoratu dignum occurrit, usque *Philippum* II.

Philippus II. itaque in hoc obscuro Graeciae loco, ut vidimus ab *Amynta* II. patre natus, in juventute sua a fratre *Alexandro* obses *Pelopidae* traditus, Thebis apud *Epaminondam* aliquamdiu vixit; ubi licet in vigilantia, laborum industria, ac fatigiorum patientia, aliisque honestis disciplinis, praesertim in tractandorum armorum peritia, quae ipsius innatae ambitioni optime conveniebat, insigniter excultus: brevi famosissimus Princeps evaserit; tamen virtutis, meritorumque virorum non quidem osor, sed nec sincerus cultor erat; e contra vero luxuriae et temulentiae nimis deditus, imo perditissimorum hominum consiliis abreptus, fidem pro lubitu frangere non erubuit; prout exempla docent: uti de muliere, quae ob inique judicatam causam, se ad sobrium *Philippum* appellare dicebat. Item: accusatos de se male loquentes homines, non ut e regno eliminavisset, sed potius eos, ne de ipso, extra patriam etiam male loquerentur, detineri voluit. His igitur moribus

prae-

praeditus *Philippus*, audita fratris sui *Perdiccae* III. morte, mox in Macedoniam reversus, ibi qua Tutor *Amyntae* III. quinque annorum nepotis gubernacula obtinuit; sed dum a vicinis principibus impetitus esset, quoniam Thraces *Pausaniae;* Athenienses autem *Argaeo* Macedoniae coronam deferre intenderent; nihil moratus, Poeones et Thraciae regem variis muneribus sibi conciliavit; qua insigni animi praesentia Macedones audaciores reddens; communi eorum voto, anno ante Ch. 358. Rex electus est; qui initio politicis mediis usus, Graecas, aliasque nationes inter se decertantes, ultro mutuis caedibus vires lacessere permisit: domi vero disciplinae militaris emendationem aggressus, arma aptiora parari jussit. Novum exercitum *Phalangis* nomine celebratissimum instituendo, simul etiam novam bellandi methodum induxit. *a*) Ut autem potentiores nationes facilius liberiusque sibi subjugare possit, cum finitimis Poeonibus pacem inivit, Atheniensibus vero licet victis, tamen *Amphipolim* praecipuam civitatem eis restituit. Et revera brevi felici successu superatis tribus regibus, uti: Thraciae, Poeonum, et Illyriorum; *Methonem* etiam Thraciae urbem evertit, in cujus oppugnatione unum oculum amisit. *Crenidam* urbem expugnatam instaurans, dein a suo nomine *Philippos* appellavit, ubi ex repertis auri fo-

---

a) Philippi acta legantur fusius ap. Diodor. Sicul. L. 16. c. 2. seqq. Justin. L. 7. c. 6. et L. 8. c. 2. seqq.

fodinis celeberrimos *aureos Philippicos* cudi jussit; auctoque aerario majorem exercitum conscripsit. Graecarum civitatum Oratores et Principes auro corruptos ad prodendam patriam commovit. *Demosthenes* quidem mature advertit *Philippi* fraudulenta conamina in ruinam Graeciae tendentia; verum ceteri tunc primo *Demostheni* fidem dare coeperunt, quum varias Graeciae urbes flammis collucere conspexissent; *Olynthum*que praecipuam Thraciae urbem et Atheniensibus foedere junctam proditione cepisset. *a*) Tandem renovato cum Atheniensibus foedere, bello I. Sacro, cui se *Philippus* miscuerat, finem fecit, Phocenses gravi clade afficiendo; quos victos demum benevole exceptos, eo permovit: ut jus duorum suffragiorum inter Amphictyones, quod hactenus Phocenses habuerant, in *Philippum* tamquam unicum victoriae suae fructum transferrent. Igitur *Philippus* concilio Amphictyonum adscriptus id moliri coepit, ut primatum etiam Graeciae obtineret, Imperatorque contra Persas eligeretur. Interim Rege Molossorum *Arimha* mortuo, uxoris suae *Olympiadis* fratrem mox regem fecit; cumque magno fervore et Byzantium oppugnaret; Atheniensium, aliorumque Graecorum amica cenfoederatione territus, ne tamen suis partibus deesse videatur, ad fraudem se convertit; sed quum nec his artibus proficeret;

vi-

---

a) Diod. Sic. L. 16. c. 8. seqq. 54. seq. item Demosthenis tres Orationes Olynthiacae, de auxiliis Olynthiis mittendis.

videretque se Atheniensibus apertum bellum inferendo, facile totam Graeciam contra se solum concitatum iri; ideo ut Graecos ad alias cogitationes converteret, novum bellum Sacrum gerendum *a*) statuit contra Locrenses, qui *Cirrham* portum templi Delphici occuparunt. Hic re e sententia gesta, Phocensium metropolim *Elataeam* expugnavit; ad quod Athenienses vicini periculi magnitudine perculsi, mox Thebanos aliosque Graecos in armorum societatem vocarunt: quorum vires lacessere *Philippus* non ausus, pacem eis obtulit; sed illi hac rejecta arma corripiendo in Boeotiam transeuntes, mox communis salutis gratia cum Thebanis, licet alias sibi invisis conjuncti, decretorium praelium a. ante Ch. 337. ad *Chaeroneam* constituerunt; ubi ob ducum ignaviam Graeci a *Philippo* magnam *b*) cladem acceperunt. Quae victoria eam ei celebritatem peperit; ut Graeci seposito inveterato odio; moxque celebrato Corinthi Graecorum concilio, eum totius Graeciae Ducem contra Persas eligerent; qui dum se ad bellum hocce pararet, in ipsa Ludorum celebratione, quos Egis in Macedonia peragebat, detestabili invidia a *Pausania* corporis sui custode, anno aetatis 47. ex improviso *c*) confossus interiit, anno ante Ch. 335. Regnum filio suo *Alexandro* reliquit.

Ale-

---

a) Diodor. Sicul. L. 16. c. 59. Justin. L. 8. c. 2. seqq. *b*) Diodor. Sicul. L. 16. c. 87. seqq. in praelio ad Chaeroneam. *c*) Diodor. Sic. L. 16. c. 95. seq. Justin L. 9. c. 6. seqq.

Alexander Magnus, *Philippi* II. filius, natus est anno ante Ch. 356. ea nocte, qua Ephesi Dianae templum conflagraverat; qui ob magna, quae in Asia exercuit latrocinia, *Magni* cognomen adeptus est. Hic quum annum aetatis 13. ageret, *Aristoteli* in disciplinam traditus, omnibus sane philosophiae principiis *a*) ab optimo Magistro educatus, tandem patri suo *Philippo* nefarie occiso, anno aetatis vigesimo, optima spe successit; quo tempore contra *Darium Codomannum* ultimum Persarum regem, ut perprius pater; ita et hic communibus Graecorum suffragiis Imperator belli electus est. *b*) Sed prout erant Graecorum mobilia ingenia, dum *Alexander* initio statim in Thracia bellum gereret, Triballorumque Regem viriliter profligaret; ita Graeci jam tunc moribus effeminati aut saltem imbecilles, viribus ejus ad tanta facinora diffidentes, metu an contemtu repente ab eo defecerunt; quos opinione celerius, horrendi exercitus terrore opprimens, ostentatione armorum multos placavit: Thebanos autem pacem aspernantes debellando, eorum *c*) civitatem evertit; ubi sex millia caesa, 30. vero millia in captivitatem abducta sunt. Ita dirutis Thebis, et pacata tota Graecia, Imperii gubernationem *Antipatro* committens, ipse

---

a) Plutarch. in Alexand. p. 466. Dionys. Halicar. et Diog. Laert. L. 5. c. 1. *b*) Diod. Sicul. L. 17. c. 3. seq. Justin. L. 11. c. 2. *c*) Diodor. Sic. L. 17. c. 8. 13. Justin. L. 11. c. 3. seq.

ipse expeditionem in Persiam suscepit, qua nulla in Historiis sive gloriosior, sive illustrior invenitur. *Alexander* enim primo vere cum exigua quidem, sed veteranorum militum manu, tot tantisque gentibus perdomitis, ab ipso Hellesponto, ad Indos usque victricia arma circumtulit. Et quidem ad *Sestonem* urbem perveniens, primo exercitum explicabat, ac ad *Granicum* Phrygiae amnem, primum decretorium praelium committendum decrevit: ubi etiam *a*) Persae cum nefando exercitu magna clade affecti, castris exuti, et victi sunt. Ubi victoriae praemium fuit fere tota Asia coloniis Graecorum frequentata: quo tempore, *Memnon Rhodius* natione quidem Graecus, sed nunc *Darii* praestantissimus Dux, a cujus incolumitate Persarum fortuna stabat, insulas Graecorum pari fervore depopulatus est. Ceterum *Alexander* hac victoria de Persis relata mire animatus, castra sua mox alio convertens, brevi pari fortuna Paflagonibus et Cappadocibus in deditionem acceptis, quum per Ciliciam proficisceretur, in gravissimum morbum incidit; *b*) sed tamen *Philippi* Medici ope cito convalescens, mox alteram pugnam decretoriam ad *Issum* committendam statuit: *c*) ubi denuo Persae victi, eorumque castra occupata sunt;

qua

a) Arrian. L. 1. Justin. L. 11. c. 6. Diodor. Sic. 17. c. 19. seqq. *b*) Arrian. L. 2. c. 4. Curtius L. 3. c. 4. Justin. L. 11. c. 8. *c*) Diodor. Sicul. L. 17. c. 33. seq. Curtius. L. 3. c. 9. seqq. Arrian. L. 2. Plutarch. in Alex.

qua belli tempestate *Darii* mater, uxor, et liberi in *Alexandri* potestatem devenerunt. Quo celebri victoriarum successu Coelesyri et Phoenices territi, certatim praeter Tyrios deditionem fecerunt; Tyri in temeritatem acti, humanitate et clementia plenos *Alexandri* Legatos, ad pacem honestam amplectendam eos hortantes, in mare projecerunt; qua injuria *Alexander* exacerbatus, ipsam urbem tandem septimo mense *a*) stupendis operibus expugnavit: inde Gazam profectus, hanc quoque duorum mensium obsidione coepit. Unde *Josepho Flavio b*) teste: *Alexander* Hierosolymam profectus, non tam sibi occurrentem *Jadduam* Pontificem, quam ejus Deum verum adoravit; eique in templo ex praescripto legis sacrificavit; Judaeis vero ea occasione varia privilegia concessit. Atque ab hoc tempore, quo Pelusium veniens, sine sanguinis effusione Aegypto potiretur, Regnum *Alexandri* in Perside statuitur. Pacata his successibus Aegypto, mox *Alexander* Jovis Ammonis oraculum adivit: indeque reversus in perennem sui nominis memoriam *Alexandriam c*) urbem in Aegypto condidit. Interim *Darius* tantarum terrarum jactura contristatus, dilatatus, impinguatus, et incrassatus, regni revindicandi studio novitus abreptus, decies centena millia militum conscriben-

---

a) Obsidionis molimina refert Diodor. Sic. L. 17. c. 40. seqq. Curtius. L. 4. c. 2. seq. Justin. L. 11. c. 10: Arrian. L. 2. *b*) L. 11. c. 8. Antiq. Jud. *c*) Justin L. 11. c. 11.

bendo, tertium et ultimum praelium, a quo res et fortuna Persarum pendebat, ad *Arbelam* seu *Gaugamelam* urbem ineundum decrevit: *a*) quam immensam multitudinem *Alexander* felici eventu debellavit, ipseque *Darius* in Mediam fugiens, castra sua omnium rerum copia referta *Alexandro* reliquit. Qui mox Babylonia et Susiana potitus, recta via *b*) in Persidem profectus, *Persepolim* caput Gentis dirripuit, et Regiam Persarum succendit. Tot igitur praeliis victus *Darius* quum delectis novis copiis bellum denuo reparare contenderet, a *Besso* Bactrianorum Praefecto indigne peremtus est. Interim quo haec gererentur, eo ipso tempore, hand minori marte contra Lacedaemonios pugnavit *Antipater*; quo in certamine etiam Rex *Agis* misere occubuit. *Alexander* vero in oriente victoriis magis quam passibus omnia peragrans, Hircanos, Bactros, Paropamisadas, et Caucasi accolas partim subjugavit, partim in fidem recepit. Quibus victoriis animatus *Alexander* celeberrimam contra Indos suscepit expeditionem, in qua *Hydaspem* fluvium et Oceanum transgressus, plurimos Indiae populos victricibus armis subjugando, eorum Principes alios, uti: *Taxilem*, *Abisarum*, et *Doxoream* clementer tractavit; alios vero uti:

Astem

---

a) Diod. Sicul. L. 17. c. 55. seq. Curtius. L. 4. c. 17. Arrian. L. 3. Justin. L. 11. c. 13. seqq. *c*) Curtius L. 5. c. 1. Arrian. L. 3. fuse Diodor. Sic. L. 17. c. 68.

scituro filio, Curator, Regnique Moderator *Perdiccas* adderetur. *a*) Qua occasione omnes provinciae in satrapias et Praefecturas distributae sunt. *b*) Interim Graeci inaudita *Alexandri M.* morte, mox ubique tumultuari coeperunt, imprimis autem Athenienses, qui *Leosthene* duce omnes Graecos ad libertatem recuperandam provocarunt; qui etiam brevi unitis viribus *Antipatrum* victum, ad Thessaliae oppidum *Lamiae* obsederunt, unde etiam Lamiaco bello nomen impositum est: quo in memorabili praelio *Leosthenes* et *Leonnatus* generose occubuerunt. Verum anno sequente quum *Craterus* se *Antipatro* adjunxisset, mox Athenienses magna clade attriti, et ad *Cranonem* victi sunt. Quibus in turbulentis temporibus, *Perdiccas* in oriente regnum obtinere cogitans; sine mora *Cleopatram Alexandri* M. sororem in uxorem duxit; quo facto, quum *Ptolomaeo* vicino Principi terrorem incus-

---

a) Idem ibid. *b*) In divisione. *Ptolomaeus Lagi* filius accepit Aegyptum. *Laomedon Mitilenaeus* Syriam. *Pitho* Mediam. *Eumenes* Cappadociam, et Paphlagoniam: item omnem terram quaecquae Ponto usque Trapezuntem adjacent. *Antigonus* Pamphiliam, Lidiam, et Phrigiam Magnam. *Cassander* Cariam. *Meleagrus* Lydiam. *Leonatus* Phrygiam minorem, quae ad Hellespontum est. Asiae provinciae iis sunt permissae, qui tunc praeerant. In Europa *Lysimachus* Thraciam cum Chersoneso. *Antipater et Craterus*, qui adhuc ab *Alexandro* missi erant in Ciliciam, acceperunt Macedoniam, et Epirum cum tota Graecia. *Seleucus* autem sociorum equitibus praefectus est.

cussisset, mox *Ptolomaeus* cum *Antipatro* foedus armorum inivit: ad quem rumorem *Antigonus* in Graeciam veniens, *Antipatro* et *Cratero* svasit, ut quum jam Graecos devicissent, numerosum suum exercitum in Asiam traducerent ad *Perdiccam* opprimendum; quem terrificum belli apparatum mox ut *Perdiccas* resciverat, *Eumenem* cum valida manu ad Helespontum ire jussit: qui etiam in Aegyptum veniens, commisso decretorio praelio, *Craterum* et *Neoptolemum* vicit. *Perdiccas* vero longe florentiorem exercitum alia via ducens, in ipso Nili transitu, conspiratione suorum, quibus ob superbiam invisus erat: occisus est an. ante Ch. 329. Caeso *Perdicca*, ejus etiam fratres *Eumenes* et *Alcetas* proscribebantur, et summa rerum administratio *Antipatro*; cura vero belli adversus *Eumenem Antigono* concredita est. *a*) Inter hujus filios *Polysperchontem* et *Cassandrum*, prout post mortem patris Macedoniae Rectores erant; graves contentiones sunt enatae: *b*) quoniam *Polysperchon* partes Regiae familiae tueretur; quapropter a *Cassandro*, *Antiogoni* amicitia adjuto gravi bello lacessitus est. Inter tantas Regiae familiae calamitates, *Olympias Philippum* ejusque uxorem *Eurydicem* vita exuit; ipsa autem *Olympias* in urbe *Pydna* a *Cassandro* post diuturnam obsidionem capta et occisa est. Eodem

Z 2 tem-

---

a) Diodor. Sicul. L. 18. c. 53. seq. Justin. L. 14. c. 1. Plutarch. in Eumene. *b*) Diodor. L. 18. c. 54. seqq.

tempore etiam *Antigonus* ob reddendas rationes a *Seleuco* Babyloniae Praefecto, *a*) in confoederatione *Ptolomaei*, *Lysimachi*, et *Cassandri*, bello gravi impetebatur: donec a *Demetrio Antigoni* filio ad Cyprum vinceretur. *b*) Qua belli fortuna *Antigonus* sibi et filio Regium titulum sumsit; quem etiam ipse *Ptolomaeus*, et reliqui imitati sunt. *c*) Ac proin nunc ex tantis regnis et provinciis ab *Alexandro M.* condam subactis, prodiverunt quatuor separata regna: nempe Regnum Macedonicum; Asiaticum; Syriacum, et Aegyptiacum. Quae regna jure haereditario obtinuerunt sequentes Principes, uti: *Cassander* Macedoniam. *Antigonus* Asiam. *Seleucus* Syriam. *Ptolomaeus* Aegyptum; quidam addunt etiam regnum Thracicum, quod *Lysimachus* obtinuerat. Haec regna sub propriis Regibus diu floruerunt, donec tandem jugum Romanorum cuncta subire cogerentur. De quibus specifice brevibus mox dicetur.

C a-

---

a) Diodor. Sicul. L. 19. c. 56. seqq. Justin. de Seleuco. L. 15. c. 4. seqq. *b*) Justin. L. 15. c. 4. seqq. *c*) Justin. L. 16. c. 1.

Caput XXI.

DIVISUM REGNUM MACEDONICUM.

§. 1. *Antipater* sicut vivo *Alexandro M.* ita etiam post ejus fata, nomine Pro-Regis Macedoniae praefuit. Hujus filius *Cassander*, exstirpata *Alexandri* M. stirpe, regium titulum sibi assumsit, et in suos successores transmisit. Regnum hoc initio statim variis casibus agitabatur; tandem post amissam Graeciam, *Cassander* cum regnasset 19. annis; moriens: ex *Thessalonica* uxore tres reliquit filios; *a*) quorum maximus *Philippus* uno anno regnavit; alii vero duo, *Antipater* et *Alexander* de imperio mox certare coeperunt: tandem *Antipater* interemta matre *Thessalonica*, e regno pulsus, ac a *Lysimacho* Thraciae rege, cujus filiam duxerat, interfectus est. *b*) Quibus in adjunctis *Alexander* ut regnum pacatum obtinere possit, *Pyrrhum* ex Epiro, *Demetrium* vero ex Peloponneso in auxilium evocavit. Sed *Demetrius* arma quae ad pacem procurandam vertere debuisset, contra foederatos vertit: ac *Pyrrho* victo et ejecto, *Alexandro* vero interfecto; *c*) ipse tota Macedonia potitus est. a. U. C. 459. Sed dum ad Imperium Asiae, quod pater ejus obtinuerat recupe-

a) idem ibid. c. 2. *b*) Plutarch. in Demetrio. *c*) idem ibid.

perandum, ingentem appararet exercitum; tunc foederati Principes uti *Seleucus*, *Lysimachus*, *Ptolomaeus*, et *Pyrrhus* communibus consiliis eum aggressi sunt; ubi foeda proditione a suis destitutus, Macedonia quam septem annis tenuerat ejectus; demum se *Seleuco* tradere coactus est; apud quem inter luxum et delicias, vitam inglorius post tres annos finivit. Atque hic est ille *Seleucus Nicator*, qui *Stratonicen Demetrii* filiam aliquamdiu in matrimonio habitam, filio suo *Antiocho*, eam perdite amanti concessit. Hinc patet: Macedoniam *a*) hoc tempore in diversorum dominorum, uti: *Demetrii*, *Pyrrhi*, item *Lysimachi* et *Seleuci* potestate extitisse. Imo post hos Macedoniam occupavit *Ptolomaeus Ceraunus*, *b*) sub quo Galli tripplicem expeditionem in Macedoniam variis ducibus susceperunt, immanemque stragem ipso *Cerauno* caeso ediderunt: qua tempestate desperatas Macedoniae res *Sosthenis* virtus tantisper erexerat: qui laetantes victoria barbaros reprimendo, Macedoniam biennium tenuit; *c*) donec tertia Gallorum irruptione ipse quoque cecidisset: quorum ferociam jam antea *Meleager* et *Antipater* experiri cogebantur. *d*) *Antigonus Gonatas* autem Gallorum et Atheniensium victor, regnum per varios casus

---

a) Justin. L. 16. c. 3. et L. 17. c. 1. seq. Plutarch. in Demetrio. *b*) Justin. L. 17. c. 2. item L. 24. c. 1. seq. de Ptolomaeo Ceranno. *c*) Justin. L. 24. c. 5. *d*) apud Eusebium in addendis p. 228.

sus sat longo tempore tenuit. Cui morienti successit filius *Demetrius II. a*) a fortitudine bellica celebris; qui decedens filium impuberem reliquit *Philippum b*) cujus loco Tutor *Antigonus Doson* sex annis Macedoniam laudabiliter administravit; Spartanis enim libertatem; Macedonibus securitatem a barbaris procuravit: quo mortuo *Philippus* legitimus regni haeres regni gubernacula suscepit, qui strenuus et audax Princeps felicia bella contra Aetolos, Dardanos, et Peloponneseos *c*) gessit; sed postquam diu arma Romanorum frustra tentasset, post dupplicem cladem acceptam, ab iisdem victus, pacem ignominiosam facere coactus fuit; qui demum inter varias belli calamitates, a. M. 3771, mortuus, filium *Perseum* ex pellice natum *d*) heredem reliquit, qui contra Romanos potentes, bellum dilatandi regni cupiditate suscitans, post acceptas varias clades, tandem ab *Aemylio Paullo* praelio decretorio victus, regno exutus, captus, et in triumphum cum tota familia sua ductus in carcere misere obiit: *e*) ac Regno Macedonico finem imposuit, quod etiam cum tota Graecia in formam

---

a) Justin L. 26. c. 2. et L. 28. c. 3. *b*) Polybius L. 2. c. 63. Justin. L. 28. c. 3. seq. *c*) Livius L. 31. 32. 33. belli seriem refert, Florus. L. 2. c. 7. Justin. L. 29. seq. Polyb. ni Excerp. Legat. c. 9. *d*) Livius L. 40. c. 54. Justin. L. 32. c. 3. *e*) Livius. L. 40. seqq. series belli refertur ap. Florum L. 2. c. 12. Justin. L. 33. Polyb. in Excerpt. Legat. c. 65. seqq.

mam provinciae Romanae redactum fuit, a. M. 3836.

Caput XXII.

REGNUM GRAECO ASIATICUM.

§. 1. *Asiaticum Regnum*, quod post mortem *Alexandri M. Antigono* cessit: terram illam in se complectebatur, quam hodie *Natoliam* vocamus una cum minoribus vicinis regionibus ultra Taurum montem. *Antiochus* hic post caedem *Eumenis* a. 1. Olymp. 116. commissam, opibus et potentia auctus regnum affectare coepit, ac *Pithone* etiam caeso, *a*) provincias orientis sibi asseruit; unde *Seleucus* vitae suae metuens fuga elapsus, mox *Ptolomaeum*, *Lysimachum* et *Cassandrum* ad ineundum contra *Antigonum* foedus permovit; qua belli fama percrebrescente, *Antigonus* sine mora in Phoeniciam veniens Tyrum post 15. menses tandem expugnavit. Verum ex alia parte non eam expertus est fortunam *Demetrius Antigoni* filius ad provinciae tutelam domi relictus; nam hic a *Ptolomaeo* magna clade attritus et victus est. Hac belli occasione *Seleucus Nicator* *b*) Babylonem recuperavit, atque ab hoc tempore *Aera Seleucidarum* initium sumsit an. Periodi Julianae 4402. Ad hunc infelicem

a) Diodor. Sic. L. 19. Justin. L. 15. c. 4. *b*) idem. ibid. Joseph. contra Appion. L. 1. c. 22.

licem belli successum territus *Antigonus* an. ante Ch. 307. filium *Demetrium Polyorcetem* in Graeciam misit; ut urbes, imprimis vero Athenas libertati restitueret; qui praeterea sumto Regio titulo cunctos foederatos principes in se concitans, demum rebus utrinque magna cura paratis, sequente anno ad *Ipsum* Phrygiae opidum, commisso praelio decretorio, ipse *Antigonus* victus et occisus est. *a*) *Demetrius* autem in Cyprum fugiens, ab Atheniensibus quoque exclusus fuit. Hac occasione *Antigoni* et *Demetrii* Regnum Asiaticum, foederati Socii inter se diviserunt. Verum non multo post *Demetrius Polyorcetes*, *Seleuci* affinitate adjutus, *Lysimachi* provincias, vastando vires tantisper colligens, Ciliciam recuperavit, prout et Athenas post annuam obsidionem obtinuit; ubi leni verborum castigatione contentus, omnia Atheniensibus praeter libertatem restituit: hinc ad alias etiam Graeciae civitates recuperandas feliciter profectus, *b*) ipsum etiam Macedoniae regnum occupavit: quo tamen brevi iterum a *Pyrrho* et *Lysimacho* spoliatus, vitam ipsam *c*) in Asiam fugiendo servavit; ibique denuo circa Ciliciam et Lydiam regnum novum constituit, *d*) sed non diuturnum; nam brevi a *Seleuco* Genero victus, et in Syriae peninsulam relegatus, ibique post trium annorum

---

a) Diodor. Sic. L. 20. c. 107. seqq. Plutarchus aliter refert Justin. L. 15. c. 4. *b*) Plutarch. Demetr. *c*) idem. ibid. Justin. 16. c. 1. seqq. *d*) idem. L. 17. c. 1. seqq. fusius autem Plutarchus refert.

rum exilium mortuus est. Ex hoc itaque regno Asiatico, procedente tempore enata sunt tria minora regna, uti: I. REGNUM PERGAMENUM. Quod *Philetaerus Lysimachi* Thesaurorum Praefectus. a suo rege deficiens *a)* in Urbe *Pergamen* a. Urbis C. 461. condidit; quod teste *Strabone* sub sex principibus per 160. annos floruit: cujus conditor, regnum hoc multis provinciis auctum *Eumeni* nepoti reliquit, sub quo adhuc majora incrementa accepit. Cui mortuo *Attalus* I. successit, *b*) qui Gallis devictis, magnis divitiis cumulatus, fide et justitia regnando, regnum firmum et stabile *c*) *Eumeni* filio cessit, qui in bello contra *Antiochum M.* fidus Romanorum socius. *d*) regnum etiam suum multis modis amplificavit: ac moriens, fratrem suum *Attalum* II. successorem nominavit, qui etiam Romanorum amicitiam continuo aestimavit. Ei mortuo successit *Attalus* III. *Philometor*, *e*) qui crudelitate et caedibus non tantum amicorum sed et cognatorum, regnum tranquillum foedavit; ast paulo post quasi mente captus, induta squallida veste, scelerum poenas dare videbatur, sicque neglecta reipublicae cura, hortos fodere, et

---

a) Strabo. L. 13. Pausan. in Atticis. Justin. L. 17. c. 1. *b*) Livius L. 33. c. 21. *c*) idem. ibid Florus. L. 2. c. 7. *d*) Livius L. 32. c. 8. et L. 37. c. 39. seqq. L. 38. c. 39. Strabo L. 13. Justin. L. 36. c. 4. paulo aliter successorem facit Eumenis Attalum III. *e*) Strabo L. 3. Justin. aliter L. 36. c. 4.

et amicis suis venenatas herbas mittere solebat. Tandem moriturus, *a*) heredem Populum Romanum instituit. Quod tamen regnum *Aristonicus*, *Eumenis* ex pellice filius invasit; contra quem *Licinius Crassus* haud felici successu, felicius autem *Perpenna* pugnavit, *b*) et quum *Aquilius* bellum penitus confecisset, *Attali* Regis res omnes navibus impositae, et Romam abductae sunt; sicque Asiae pars Romanorum facta, cum opibus etiam vitia in occidentem transposuit.

REGNUM PONTICUM in Asia latissimum, a *Mithridate* Pontico constitutum; hoc nomine septimus ex familia *Achaemidarum*, *Darii Hystapis* tempore in Ponto regnantium; originem duxit. Porro omnes Ponti reges communi nomine *Mithridates* vocabantur. Ultimus *Mithridates* circa a. M. 3860. a praeclaris factis jam in sua juventute illustris, post victoriam de Scythis relatam animatus, etiam de tota Asia supprimenda cogitabat, *c*) pulsisque Bythiniae et Cappadociae regibus; mox gravissimo suo edicto per Asiam promulgato, una die 250. millia civium Romanorum trucidari jussit, *d*) demum Graeciam aggressus, Athenas aliasque Graeciae ci-

---

a) idem. ibid. Livius Epit. libri 58. Florus L. 2. c. 20. Orosius. L. 5. c. 8. *b*) Justin. L. 36. Livius. L. 39. c. 6. Florus. L. 3. c. 12. Orosius. L. 5. c. 10. Strabo L. 14. *c*) Justin. L. 37. c, 3. Plutarchus in Sylla. *d*) Livius. Epist. L. 78. Florus. L. 3. c. 5.

civitates obsidendo occupavit; pro quibus crudelitatibus, a Romanis, duce *Sylla* magna clade attritus, quum 100. millia militum amisisset, tandem pacem obtinuit. Verum flagrabat sanies e vulneribus ejus, ideo brevi resumtis animis, Romanos illatae injuriae vindicandae studio aggressus, eorum exercitum cum duce M. *Aurelio Cotta* magno praelio vicit: sed et ipse a *Lucullo* non modicas clades accepit. Tandem *Pompejus* ad Bellum tertium *Mithridaticum* cum exercitu profectus, post varias illatas clades et victorias, *Mithridates* e regno pulsus est. Sed hic nec deinceps conquiescens, quum varias machinationes contra Romanos agitaret, ad extremum a *Pharnace* filio ad mortem quaesitus, dum veneno rem in effectum deducere non posset, servi sui gladio perfecit. a. U. C. 691. *a*)

III. REGNUM ARMENIAE fuit, ubi ultimus regnabat *Tygranes*, qui auxilium *Mithridati* conferendo, ipse furorem Romanorum experiri debuit; ac utriusque regnum, a Romanis in formam provinciae redactum est.

Ca-

---

a) Dion. Cassius. L. 37. Vellejus Patercul. L. 2. Appian. Mithrid. p. 249.

Caput XXIII.

REGNUM GRAECO SYRIACUM.

§. 1. In Syria Regnum latissimum post divisionem Imperii Macedonici condidit *Seleucus* a multis victoriis clarus, unde etiam *Nicator* dicitur: diutissime ex purpuratis *Alexandri M.* ducibus superstes; suis successoribus, quos viginti et unum habebat, longe instructissimum regnum paravit, *a*) et ab ejus regimine etiam *Aera Seleucidarum* celebris initium sumit: tandem a *Ptolomaeo Cerauno* perfide occisus est; cui successit *Antiochus Soter*; a novercae suae *Stratonicae* matrimonio, item Gallorum memorabili clade celebris. *b*) Huic mortuo successit *Antiochus Deus*, qui diuturnum bellum cum *Ptolomaeo Philadelpho* habuit, *c*) et tandem a repudiata sua Uxore *Laodice* veneno peremtus est: post cujus mortem continuae turbae in regno Syriae sunt ortae. Filius enim ejus *Seleucus Callinicus* dictus, occisa sua noverca *Beronice* Aegyptiaca *d*) statim a *Ptolomaeo Evergeta* cruentissimis bellis fatigatus, prout et fratris *Antiochi Hieracis* gravissimis intestinis factionibus fuit vexatus; *e*) demum inter varias factiones equo praecipitatus et

---

a) Justin. L. 15. c. 4. Joan. Vaillant. Familiam Seleucidarum in Numis. *b*) Diodor. Sicul. in Excerpt. Peirescianis. Justin. L. 17. *c*) Appian. in Syriacis. *d*) Justin. L. 27. c. 1. Appianus in Syriacis. *e*) Justin. L. 27. c. 2. 3.

et mortuus est. Cui successit filius *Seleucus Ceraunus* sed brevi interfectus, Regnum *Antiocho M.* reliquit, *a*) qui mox cum *Ptolomaeo Philopatore* diuturnum et infelix bellum gessit; felicius contra *Achaeum*, sed infelicissinum cum Romanis; nam a Consule *Acilio* victus, post ignominiosam autem pacem ultra montem Taurum relegatus, tandem ut Sacrilegus in direptione templi *Elymaei Jovis* occisus est. *b*) Successit ei *Seleucus Philopator*, qui sine magna memoria undecimo regni anno mortuus est. Quem frater *Antiochus Epiphanes* excepit, Judaeorum crudelissimus hostis; *c*) qui demum a Romanis Aegyptum deserere jussus, post acceptam vero cladem in Sacrilegio *Elymaidis*, ex moerore animi contabuit: Ejusque regnum obtinuit filius *Antiochus Eupator*. *d*) brevi a *Demetrio* patruele occisus; qui regnum aripiens, post gravia cum Judaeis bella *e*) vagis voluptatibus se demittens, tandem ab *Alexandro Bala*, *Epihpanis* filio, bello victus et occisus est. Post quem *Alexander* vicinorum principum amicitia et auxilio fultus, regnum obtinuit: *f*) sed continuo hostem ha-

---

a) Polybius. L. 4. c. 2. L. 5. c. 1. seqq. *b*) Polyb. in Excerpt. legat. c. 24. Livius. L. 38. c. 38. Justin. L. 31. 32. ubi Didymaei templum legitur. Strabo. L. 16. *c*) Livius L. 45. c. 12. Justin. L. 34. c. 3. Appian. in Syriacis. *d*) Joseph. antiq. L. 12. c. 16. *e*) idem. ibid. seqq. Polyb. in Excerp. L. c. 114. Justin. L. 24. c. 3. *f*) Justin. L. 35. c. 1.

habuit *Ptolomaeum Philometora* qui filiam suam *Cleopatram Alexandro* ademtam, *Demetrio Nicanori* Uxorem dedit; eumque victo et fugato *Alexandro*, Regem Syriae constituit. *a*) Verum *Demetrius* a *Tryphone* bello lacessitus, brevi *Alexandri* filio *Antiocho Entheo* regnum cedere debuit; ipse vero *Demetrius* a Parthis, quibus invisus erat captus est. Quo facto *Triphon* mox *Antiochum* occidit, et solus regnum occupavit: *b*) contra quem crudeliter saevientem *Cleopatra* Regina, ad thronum et torum vocavit mariti capti fratrem *Antiochum Sedetem*, qui etiam *Thriphone* victo, regnum recepit: hic Judaeorum infensissimus, contra Parthos pugnans occisus est: cui *Nicanoram* antea captum opponebant; qui licet celebri victoria regnum amissum recuperavit; non tamen suo periculo cautior redditus, denuo omnibus invisus esse coepit. Tandem ab *Alexandro Zebenna*, quem *Ptolomaeus Physcon* pro *Antiochi Sedetis* filio substituebat, regno pulsus et occisus est: sed nec hic aliorum periculo doctus, quoniam superbe imperaret: ab *Antiocho Grypho Nicanoris* filio auxiliis Aegyptiorum adjuto, regno pulsus et occisus est. *Antiochus* iste matre sua occissa, fratrem *Antiochum Cyzicenum* mox hostem habuit, *c*) qui diuturnis intestinis caedibus patriam implevit, donec tru-

a) Joseph. antiq. Jud. L. 13. c. 8. Livius. L. 52. Justin. L. 35. 36. *b*) idem. ibid. Joseph. antiq. L. 13. c. 9. et seqq. *c*) Justin. L. 39. c. 2. seqq. Joseph. L 13 c. 17.

trucidaretur *Gryphus*: cujus filius *Seleucus*, bellum contra *Cyzicenum* continuans, eum etiam occidit. Ast *Cyziceni* filius *Antiochus Eusebes* in vindictam patris, bello *Seleucum* aggressus, brevi vita et regno exuit: contra hunc *Eusebem*, quatuor germani fratres, per novem annos cruentissima bella gesserunt; quibus quintus frater *Antiochus Dionysius* accedens, brevi ab Arabibus occisus est: quo tempore Arabibus magna Syriae pars cessit. Altera vero Syriae pars, intestinas caedes fratrum pertaesa, *Tygranem* Armeniae regem ad capessendum regnum vocavit, *a*) qui postquam 18. annis regno potiretur, tandem a Romanis duce *Lucullo* victus est; quo tempore *Antiochus Eusebes*, qui dudum in Cilicia latuerat regno restituebatur; cui tamen regnum brevi *Pompejus* ademit; et reliquas etiam Syriae partes in Romanorum Provinciam redegit.

Caput XXIV.

REGNUM GRAECO AEGYPTIACUM.

§. 1. Mortuo *Alexandro M.* Graeci in Aegypto novum regnum fundarunt, floruitque Regnum Aegyptiorum sub duodecim regibus, annis 294. Inter quos reges celebriores numerantur *Ptolomaeus Lagi*, qui jam sub *Alexandro* M. praeclara servitia fecerat, dum autem Regni

a) Joseph. antiq. L. 13. c. 23. *b*) Justin. L. 40. c. 1. Appian. in Syriacis.